



Eber  
Edel  
Ehrke  
Ehrne  
Ekne  
Ekne  
Elve  
Eme  
Eng  
En  
Erk  
En  
Es  
Eu  
Ey  
Eg

7a



Q. D. B. V. 3  
DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O MEDICA  
DE  
C I C U T A  
QUAM  
NUMINE SUPREMO FAVENTE  
EX CONSENSU  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
PRO LICENTIA  
GRADUM DOCTORIS

RITE CONSEQUENDI  
DIE XIII. APRILIS MDCC<sup>LX</sup>III.  
SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI PROPO<sup>N</sup>IT  
Auctor  
PROJECTUS JOSEPH. EHRHART  
REDERSHEIMENSIS ALSATA  
AA. LL. ET PHILOS. MAGISTER.

ARGENTORATI,  
Typis JONÆ LORENZII, Typogr.

REVERENDISSIMO ILLUSTRISSIMO  
AC  
GENEROSISSIMO  
DOMINO DOMINO  
FRANCISCO JOSEPHO  
LIBERO BARONI  
DE FOREL  
NOBILISSIMI ET EMINENTISSIMI MELITENSIVM  
EQUITUM ORDINIS  
MINISTRO ET QUÆSTORI GENERALI  
IN SUPERIORI ET INFERIORI GERMANIA,  
COMMENDATORI  
IN SULTZ, COLMAR, MÜLHAUSEN, FRIESEN,  
HALL IN SUEVIA, ET IN AFFELTRACH,  
NEC NON  
REGI POLONIAE, ELECTORI SAXONIAE  
A CUBICULIS ET CONSILIIS SECRETIORIBUS &c. &c.  
PATRONO ATQUE MÆCENATI SUO  
COLENDISSIMO  
IN GRATI ANIMI SIGNIFICATIONEM  
HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS  
D. D. D.  
PROJECTUS JOSEPHUS EHRHART.





§. I.



K<sup>α</sup>veίn nomen, quod Græcis κάνειον dicatur,  
HIPPOCRATES cum multis aliis Sect. 5.  
de nat. muliebr. p. 135. Edit. Foef. &  
DIOSCORIDES L. 4. c. 77. confirmant.  
Attamen κάνειον quoque dici a Veteri-  
bus & κάνειον, κάνειον, imo κάνειον, testan-  
tur Codices MSC. JULII POLLUCIS L. 2.  
Segm. 132. p. 547. & L. 7. Segm. 71. p. 897. & SUIDA Tom.  
2. p. 345. citante STEGERO in docta Dissertat. de Cicutâ Arbe-  
niens. &c. Lips. 1734 edita. His jungo JOAN. BODEI A  
STAPEL Notas & Comment. in THIOPHR. Hist. plant.  
L. IX c. 17. Quibus partim liquent affera. Ait non so-  
lum neutrius generis fecere Græci κάνειον, sed & in Femini-  
no κάνειον dixisse in HESYCHII Lexico legimus. Hæ voces  
probabiliter, licet aliis, eas a vocabulo κάνειον, quod est in-  
terficere, derivare, magis arrideat, suum mihi accepisse  
videntur significatum, a quodam præcipuo, quod Cicu-

A

ræ efus inducere & a veteribus, & a recentioribus ob-servatus est, symptomate, nempe vertigine, & imaginum earum, quæ adspiciuntur rerum circumrotatione, Græcorum enim Κάρειον Latinorum circumagere respondet. Hinc ita canentem reperimus vetustum NICANDRUM in Alexi pharmac. interprete GORRÆO p. 141. *Tu quoque signa malæ contemplare Cicutæ hæc primùm tentat Caput, & caligine densa involvit mentes, oculi vertuntur in orbem; genua labant, quod si cupit, ocyus ire, caducum sustentant palme Corpus . . .* Huic etiam sententiae adstipulatur omnino GALenus Lib. quod anim. mores semper. corpor. sequantur, dicens: » quin etiam cur Cicuta. Coneion dicta, epota » stultitiam ipsam pariat, cui & inde ab effectu nomen » ductum est, quem ab ipsa corpus paternimus: his accedit quoque MATHIOLOUS Comment. in L. V. DIOSCORID. c. 74. alios prætereo; id tamen probès ut passim ex Graecis colligere est, nec non censéo notandum, quod eis non sufficeret dixisse, Κάρειον esse plantam aliquam determinatam, sed & ita adpellaverint, maxeme Poetæ, unum quemque caulem Ferulaceum, aut Ferulam ipsam, conferantur HESYCHIUS, BODÆUS A STAPEL l. c. imo SALMASIUS Exercitat. PLINIAN. T. 2. c. 52. p. 742. aperte dicit, Graecis quod Κάρειον quoque exponatur νάρδος, quum quilibet Caulis Ferulaceus, Ferula ipsa sic vocetur; numeratur vere Ferula ab authoribus inter externos frutices, quæ lignum corticis loco habent, ligni autem vice fungosam intus medullam, quemadmodum caulis Fœniculi, gerant; quamvis in multo majorem altitudinem & crassitudinem exerescat; hæc ferulae caulis descriptio τῷ Κάρειον convenire notum est omnino; & quid obstar, quonimùs Græci ab hinc Cicutam dixerint Κάρειον, non video, saltem arguo. Varius non minus erat Cicutæ, quo Græcorum Κάρειον exprimi solet apud latinos significatus; constat quidem Pli-

NII Hist. nat. L. 14. c. 5. & L. 25. c. 13. Cicutam denotasse  
 herbans deleteriam, viderur indemos surrexisse, quod  
 omni fere plantarum venenatarum generi Cicutæ nomen  
 impositum reperiamus; miror omnino, quod tamen eun-  
 dem l. c. tradere videam, caulem Cicutæ. Viridem, h. e.  
 recentem edi à plerisque in patinis; nam vix quem piam  
 esse puto, qui tam suspectum olus in cibo velit experiri,  
 nisi sit, ut credere licet, & hoc textu PLINIUM sub nomi-  
 ne Cicutæ aliam indigitasse plantam. CATO de re rustic. c.  
 37. Cicutam, ut herbam ominosam exegere yellere ju-  
 ber. HORATIUS vero varia quidem loca, ast fere semper  
 sub plane diverso sensu Cicutam exprimentia inducit,  
 Epod. III. v. 3. Edit Cicutis Allium nocentius . . . qualis Ci-  
 cuta hæc fuerat, nescio. Sermon. L. 2. Satir. 1. v. 56. ca-  
 nit; sed mala tollet anum vitiato melle Cicuta . . . Hic Poeta  
 termino Cicutæ, siquid intellexisse viderur, profecto allu-  
 dit ad veterum potionem Cicutæ, aut ejus saltem succum  
 melle corruptum, ut eo hausto viictima anus certius delu-  
 sa, securius cedar. L. 11. Epist. 2. v. 53. Sed non desit ba-  
 bentem, quæ poterunt unquam satis expurgare Cicutæ . . .  
 legimus; unde plerique Authores volunt per Cicutam,  
 ut hic à vi purgante laudaram indicari Helleborum, his  
 ramen minime assentit LUBINUS annotante SCHREVELIO ad  
 PERSII Satir. 5. v. 144. sqq. ubi Poeta ait: *Calido sub peccato-*  
*re mascula biliis infumuit, quam nos extinxerit urna Cicutæ:*  
 hæc verba ita circumscribit LUBINUS: »Quam bilem, vel  
 »in faniam integra urna Cicutæ suo frigore non extinguet;  
 »& pergit, Cicutam vulgo herbam adpellarunt Catharti-  
 »cam, ut HORATIUS L. 2. Epistol. 2. v. 53. si quis ergo Ci-  
 »cutam heic intellexerit, quæ κάρπεσον Græcis audit, næ is  
 »magnopere errat, cum vel obulus cicutæ hominem ex-  
 »tiuguat: Probat interim BODÆUS A STAPEL ex AVERROE  
 & PETRO APONENSI Veteres inter evacuantia primaria,

quæ phlegma purgent, numerasse Cicutam. Sed sumi etiam Cicutam pro cuius libet plantæ parte, caulis vacuâ, inter nodos seu genicula positâ abunde declarat VIRGILIUS *Bucol. Eclog. II. v. 36.* *Eft mibi disparibus septem compacta Cicutis fistula.* . . ad quem locum SERVIUS notat, quod Cicutæ sit spatiū, quod est inter carnarum nodos; quod idem SCALIGER de *Arte Poetica L. I. c. 4.* variis Poetarum locis probat, cui quoque SALMASIUS *Exercitat. Plin. p. 742.* accedit. Monet etiam BRASAVOLUS *Exam. de Simpl. med. p. 335.* fistulas ex Cicuta strui, quæ, si vino meraco marentur, cicures reddantur. His recensit Cicutæ apud latinos notionibus adeo diversis, liceat unam aliam etiam insigniter famosam, fateor, extricatu multo difficiorem, & Græciæ, & latio communem adgredi, quam quidern Doctiss. STEGERUS *Diff. cit.* jam admodum docte discussit, loca multa adducit, quibus probat, à Græcis, à Latinis Cicutæ vocem interdum simpliciter pro potionē aliqua in pœnam apud Athenienses præcipue usitatam sumi. Quæ ego passim reperi, apponam. Valde famosam esse Cicutam ob mortem dignissimi viri SOCRATIS, quis ignorat, & de hac plena sunt veterum opera; quod vero Cicuta venenum SOCRATI exhibitum non simplex aliqua planta, sed composita venenata potio, Cicuta dicta fuerit, Veturum ex scriptis æque licet arguere, imo demonstrare; & quidem PLATO *L. 29. de Phædone, vel animæ immortalitate,* adeo egregio, & in opprobrium verum de morte meticulosorum scripto *p. 493. sqq. Edit.* Ficini, testatur quod illa Atheniensibus adeo decantata Cicuta sit Potus, & quidem cum trito veneno paratus, saporem, rigorem, & mortem sensim sine sensu inducens, imo sine impetu aut ullo valido symptomate enecans; idem alii confirmant Autores, inter quos vel solum THEOPHRASTUM *Hist. plant. L. IX. c. 17.* citasse sufficiat. Hoc profectò maximè con-

cordat veteribus DIOSCORIDIS, PLINII, MATHIOLI, nec recentioribus observatis, quibus constat, ex omni aëvo, usum Cicutæ vehementes motus, horrenda induxit se symptomata; ne quis dicat Athenienses novisse certam Cicutæ dosin, ne mala excitaret, attamen certò mortem inferret, aut certo modo illam corrigere valuisse; si primum, gratia id supponunt, quod probandum incumbit; præterea fide dignissimorum palam est virorum scriptis, inter quos solum adducere liceat Clariss. TREW, qui *Commerc. Noric.* 1740. satis superque observationibus demonstrat, Cicutam dicer parcissime assumptam, ita ut nec mortem induixerit, tamen dirissima semper excitat se symptomata; si secundum volunt adversarii, tunc res mea est; ergo Cicuta non erat illud Atheniensium leve mortis medium, sed hoc prestat bat aliquid præparatum; dein & ex verbis licitoris in *Phædone* patet, quod Cicuta Atheniensium nostra non fuerit, siquidem licitor monebat amicissime, ut SOCRATES quam parcissime loquatur, ea ratione, quod illi, qui dispergunt, nimium incalescant, nihil vero tale bibiruris venenum convenire, alioquin eos, qui id fecerint, cogi interdum, quandoque ter venenum bibere; observat hic PETRUS PETTITUS *Observat. Miscell. L. 1. c. 17. p. 46.* hunc licitem talia non fuisse locutum charitatis, & miserationis stimulo, quæ profecto virtutes, addit, non cohabitant licitoribus, sed avaritiae & metus, ne denud emere Cicutam cogeretur, principio ductus haec monuisse, & quod satis superque patere ait, illo PLUTARCHI in *PHOCIONEM* loco *T. 1. L. 8. p. 758. Edit. Franc. 1599.* quo liquet, quum omnes jam biberint venenum, id est, Cicuram, defecit, & carnifex aliud negavit se tritum, nisi duodecim drachmæ forent sibi numeratae, quum vero intercederet mora, & tempus traheretur, PHOCION accersito quodam amico ait: anne gratis quidem mori Athenis liceret; petitiq; ut car-

nifici illud æris daret. Excitatum hunc PLUTARCHI locum in meam stare sententiam quis non perspicit; palam est Cicutam prostatissimam venalem & quidem valde caro pretio, cum unica ejus drachma officinalis prerium. trium thalero-rum nostratum excederit. Cicuta igitur Atheniensium erat aliquis liquor ex variis simplicibus paratus, hinc notat LUBINUS ad PERSI Satyr. IV. v. 1. quod Cicuta publicè servareretur Athenis ad puniendos fontes; CASAUBONUS notat quoque ad hunc locum Cicuram probe rusam ac dilutam propinatam fuisse in calice, more medicamentorum, idque πίνειν φάρμακον dictum fuisse. VALERIUS MAXIMUS L. 2. de extern. institut. antiquor. c. 6. p. 90. & 91. venenum Cicuta est, ait, sed temperatum, in civitate Masiliensium publicè custoditum, editque plane eosdem, quos superius ad SOCRATEM dixi effectus, nam hoc evidens fit illâ ejus de Matrone cujusdam mortis adeo, potionē Cicutæ, placide historiâ. HARDUINUS quoque ad PLINII Hist. Nat. L. XXV. c. 13. allegat, quod Cicuta Athenis publice ad son- tium peñas custodiretur. PETR. FORESTUS Observ. de venen. L. 30 Obs. 10. confirmat, Cicutam nec hoc esse venenum, quod Athenienses SOCRATI tribuerunt, ut ponit Concilia- tor, sed fuisse quoddam venenum compositum, quod Cicuram vocarunt, ut in historiis Romanorum sese legisse, faterur, atque testem ad legat VALERIUM citatum, quem sic intelligi vult. Publicè quum Cicuta & Athenis & Ma- siliæ adservatam fuisse constet, novum meæ sententiæ ac- cedit robur. Quo modo enim adservari potuerit, si hoc venenum præparatum pura fuisset Cicuta, non video; si succus erat brevi, ut mihi propria constitit experientia in corruptionem abiisset, & eo citius in Græcia ut regione calidiore; sin fuisset solummodo succus sole densatus, tunc per modum hodierni sese habuisset extracti Cicutæ, & quod ad unam drachmam datum nequaquam necare infra

patebit. **CASPAR. HOFFMANN.** *de med. officin. L. 2. c. 67. de Cicuta §. X.* plane adstipulatur meae opinioni; dubius enim æque hæret: quale venenum fuerit *Affica Cicuta*; licet frigidum fuisse credat virus illum Atheniensium *Cicutam*, quia mortem naturali omnino similem inferebat, quum sensim, & sine symptomatis vita extingueretur validis, ... & hinc potius arguendum est, hanc *Cicutam* fuisse præparatum aliquod sicut & ejus ad extraneos missione, & quia publicè custodiretur, dixi, statuere possumus, aut quoque si haec portio poena fuisset *Cicura succus*, semper concedendum manet, quod adeo fuerit aliis intermititus ingredientibus, ut eis contra suam valde pronam saltem efficaciter muniretur corruptionem. Imo **SYLVATICUS de Uſu Theriac. L. 7. c. prop. p. 53.** provocans testem *Dioscoridem* asserit; „quod *Cicuta Atheniensium*“ non simplex *Cicuta* erat, sed aliquod compositum. *Cicuta Gallis la Cigne Germanis Schierling, Wüterich.* Nostratisbus quoque *Deijffels* aut *Katzenpeterlein* accedit.

### §. II.

Varia quoque r̄e *Kareta*, & *Cicutæ* tam synonima, quam epitheta occurunt; & eorum plura concessit *Dioscorides L. 4. c. 77.* videntur ea à variis, quæ inducere *Cicuta* credebatur, symptomatibus surrexisse; non ausim, fateor, ea omnia ex suis fontibus extricare, clariora reddere, opus magno erat arduum *VERGILIO*; cur non enorme, infinitum adpareret mihi parvo; attamen vidimus placere conatus, parva magnis addere liceat, & in quantum mihi Græcis erat haurire fontibus, stimulante *VERGILIO*, lucem ad ferre conabor; *Cicuta ergo* ab eventu maleficii ejus dici potest *Amaurosis*, significat enim hæc vox id, quod extenuando minuendoque vires;

perimit. *Timoros* idem ac puniter, vel ulti dicit, quia pro poena & flagitii publica ultione Cicutæ compositum extaret; *Cataplyxis* vero quasi refrigeraris ab eventu & creditavi refrigerante; *Angynon* strangulationem, suffocationem enim inducere esum Cicutæ, omni tempore fuit observatum & generales causare convulsiones. *Pariyfini* quum Veteres, si propinarent Cicutam non solum artus, musculos experiebantur immobiles, sed omni sensibilitate privatos, ergo & cur audiebat polyano-dynon, aphronæ nec minus pater. Sileo cetera, ne longior siam; saltem plurima eorum & græca vel parum lingua doctis facile patent, licet non diffitear, alia inter ea stare explicatu planè difficillima. Videmus nec non Graecis Κύτεον teste SCHOLIASTE ad NICANDRI *alexiphar.* p. 59 χροκέυον quoque χοιάνον audivisse, h. e. Coriannum seu Coriandum forsan à foliorum Coriandri, modo SCHOLIASTES non confundat, aliqua, si ulla esset cum istis Cicutæ, similitudine *Cof.* BODÆUS l. c. quod vero Veteres in comparationibus faciendis admodum faciles fuerint, & ideo harum nonnullas sœpe satis absurdas imaginati sint, quis negabit? ita etiam SALMASIUS *Homonym.* *Hyles* *fatricæ* T. II. c. 50. confirmat, quod EROTIAMUS in lexico ex DIODORO Grammatico & ZENONE HIEROPHILEO notet, τὸ κάμμαρον apud Italioras quoque significasse Cicutam; & apud HIPPOCRATEM *Lib. de Loc. in homin.* p. 89. τὸ κάμμαρον multi Cicutam interpretantur, quam ipsam autem vocem aliis quoque substantiis inditam fuisse Foesius probat in *Oecon.* HIPPOCR. unde quoque DIODORI Gramm. & ZENONIS auctoritate liquet κάμμαρον vocari Cicutam à Doriensibus Italianam incolentibus, eo quod infortunium, ac malum adferat Lethum. Sed cum DIOSCORIDES L. IV. c. 77. Aconitum quoque κάμμαρον appellari scribat, hinc factum, ut apud non paucos Aconitum

tum & Cicutam reperiamus confundi; observante præter SALMASIUM quoque MERCURIALI var. lect. L. II. c. II. qui præsertim L. III. c. 4. locis ex ANTIGONO & ATHE-NÆO adductis abunde demonstrant Veteres & præcipue Arabes & Aconitum Coneion & Κάκειον dixisse ἀκόνιον; id quod evidentissime patet ex ABUALI IBN TSINA Canon. med. L. II. tract. 2. p. 277. qui ait: dico ego Græcè plantam hanc vocari Coneium, quod interdum Arabicè vertitur Σιαυκερᾶν, h. e. Cicuta; interdum *Albīs* i. e. Napellus eo, quia Coneium & Napellus fere similia pariant Sym-promata, & profectò dum AVERROES v. collig. 24. afferit sturnellos vesci Napello, per Napellum significasse Ci-cutam, inde patet, quia GALENI loca Conium respicien-tia citat. Sed Arabes quoque Græcorum Κάκειον per Jus-quiandum vertisse testis est APONENSIS Conciliat. different. C L. HESYCHIUS vero l. c. cui quoque BODÆUS assentitur tradit, alios vocasse Cicutam ανησκόδεν seu Aniso similem, & inquit, quia Cicuta fert semen Aniso simile; alii vero iisdem testibus Κάκειον dixeré Εγκέπερον, eo quod sua summe mortifera vi uno die homines præcipiti tra-dere morti crederetur, his RUELLIUS L. III. cap. 113. de Nat. stirp. adstipulatur: sunt, ait, qui Cicutam ab inter-ritus celeritate Ephemeron, ut PHOCION autor est, ad-pellarint . . . Apud LIBANUM declam. 8. p. 340. φάρμακον & Κάκειον unum idemque sonant. HESYCHIUS vero & POL-LUX Grammatici facile principes plectuntur nostram her-bam Epithetis valde nigris; ille in Lexico, hic in Onoma-stico; interpretantur enim Κάκειον, φάρμακον, διλατήριον, θανά-σιμον, οἰλέριον . . . Latinos quod spectat scriptores, Bo-tanicos maxime, Cicutam universim sumptam mox Co-nium, Cicutam, Cicutarium, Cynapium, Chærophyllicum, Chærefolium &c. ad dedecus usque confuse nominabant; imo refert HARDUINUS l. c. quod suo tempore octo gene-ra Cicutæ in Horto Regio Parisino numerarentur; &

B

eorum Epitheta , si cogito , magis minusve absurdia ,  
semper tamen valde vaga , Major , Minor , Aquatica ,  
Terrestris , Vulgaris , Vera , Fætida , Fatua &c. dicta ,  
ne naufeas , fatua recensendo , moveam , taceo .

## §. III.

Majorem omnino meretur attentionem Cicuta distin-  
ctio in Majorem , Minorem & Aquaticam , quæ post re-  
natas in Europa litteras crebrè apud auctores occurrit ;  
& evicit Illustris TREW pro exquisita sua circa Veterum  
scripta eruditione & in re vegetibili perspicacia ad tria  
tantum genera reduci posse , quidquid apud auctiores de  
Cicuta referrur , vid. Commer. Noric. 1740. hebd. 47. ego  
de primo saltem genere , quod CICUTÆ TERRESTRIS  
MAJORIS nomine Celeberr. Vir p. 373. venire moner ,  
tractabo , de tertio , CICUTA AQUATICA dicta , Clar. WEPFERUS  
proprio tractatu Basileæ 1679 primum impresso , & dein  
ibidem curante ZWINGERO 1716 recuso , aucto , ita egit , ut  
posterioribus vix aliquid , quod addant , reliquerit .  
CYNAPII RIVIN. ETHUSA Linn. quæ est secundum Illus-  
trarem TREW'UM CICUTA TERRESTRIS MINOR Authorum ,  
historia uberior , ut quoque aliquem , qui eam tractet ,  
experiatur opto .

## §. IV.

Nominali nunc præmissa discussione , quid genus Ci-  
cute sit , dicam ; plantam esse umbellatam , h. e. flore um-  
bellato instructam , apud Auctores occurrit ; Eadem à  
*Calycistis* ad umbellatas , à *Corollifis* & ad *Polypteralas* ,  
*Rosaceas* , *Irregularis* , & ad *Pentapetalas Umbellatas* ;  
à *Sexualistis* ad *Pentandriam digyniam* , à *Fructifis* ad  
*Gymno dispermas semine striato oblongo* refertur ; ea  
de qua ( §. 3. ) loquor , Cicuta proprium genus consti-

tuit, quod *CONIUM* Ill. *LIMAEUS* appellat; & ejus sequentem observavi characterem:

**CAL.** *Involucrum Universale* ex foliolis angustis, reflexis octo incirca, per maturitatem defluentibus componitur.

*Umbella Universalis* ex novem, quatuordecim, & ultra radiis stat, radii exteriores mox plus, mox minus ultra interiores producuntur,

*Involucrum Parviale* efformatur à foliolis sex incirca, præter magnitudinem illis involuci universalis simummis.

*Umbella Partialis* numerus radiorum est parum diversus ab illo universalis.

**COROLL.** Perala quinque subovata, parum irregularia, supernè leviter incisa.

**STAM.** quinque, totidem *Antheris* instructa.

**PISTILL.** Germina duo infra recepraculum intra Collam eminentia, apicibus fungosis coalitis duos Stylos exiguos emittentia.

**SEMIN.** duo contigua, convexo plana, striata striis lineis transversalibus evidenter crenatis.

### §. V.

Antiquam vero *CICUTAM* nostram, quæ est *CONII* L. prima species, suis distinguam Characteribus, necessarium fore duxi, ejus, quibus authoribus venit, prius adducere nomina, & ut plurimum sunt sequentia.

**CONIUM FUCHS.** *Hijb. Stirp. Icon.*, si semina exciperis, bona.

**CONIUM Maculatum SEMINIBUS STRIATIS LINN. Spec.**

*Pl. p. 243. Flor. Suec. p. 86. WACHENDORF. Hort.*

*Ultrajet. p. 8. SAUVAGES Method. Fol. p. 259. GE-*

*RARD Flor. Gallo Provinc. p. 243. à LEYSER Flor.*

*Hallenf. p. 47. JAQUIN Plant. Vindobon. p. 46.*

**CICUTA** Plin. *Hist. Nat. L. XXV. cap. 13.* SERAPION.  
 de Temper. *Simpl. p. 229.* TRAGI *p. 474.* Icon &  
 Descriptio rudis. MATTHIOL. in *Dioscorid.* cum Ico-  
 ne minus bona. CAMERARI *Epitom. p. 839.* bona Icon.  
 DORSTEN. *Botanic. p. 83.* male adumbrat. CÆSALPIN.  
*L. VII. cap. 27.* LONICER. *Nat. & Vir. Plant. p.*  
*238.* DODONEI *Pempt. p. 461.* cum figura & descri-  
 ptione bona. LOBELII Icon sat bona. TABERNÆMONT.  
*Herbar. 1170.* figura pessima. LUGDUNENSIMUM *L. VI.*  
*cap. 45.* Icon mediocris. GERARD *Herbar. L. II. cap.*  
*429* Icon. sat bona. DALEI *Pharmacol. p. 139.* Descri-  
 ptio bona. RAJI *Hist. Plant. 451.* *Synops. Stirp.*  
*Angl. p. 215.* RIVINI *Introduct. & Ord. Plant. p. 22.*  
 Icon mala, quam aliquis SCHULZEN recentissime suo  
 libello : *Kurze Nachricht von den Eigenschaften und*  
*von den verschiedenen Arten des Schierlings.* Dresd.  
 1762. apponere male curavit. HALLER *Enumer. Plant.*  
*Helv. p. 434.* & *Hort. Gotting. 175.* BOEHMER. *Flor.*  
*Lips. 200.* RUPPII *Flor. Jenens. 284.*

**CICUTA Major CORD.** *Hist. Plant. L. II. cap. 149.* Icon  
 non mala. CAMERAR. *Hort. Med. 41.* C. B. PIN. 160.  
 & *Plant. Basil. p. 48.* PARKINSON. *Theatr. Botan. L.*  
*VII. cap. 32.* figura bona. MORISON. *Hort. Oxon. T. III.*  
*L. 9. p. 290.* TOURNEFORT. *I. R. H. T. 1. S. 7.* ZANI-  
 CHELL. p. 66. VAILLANT *Botan. Paris.* MAPPY *Hist. Plant.*  
*Alsat.* LINDERN *Hort. Alsat.* BERGEN *Fl. Francof.* MO-  
 RAND *Hist. Stirp. p. 16.* *Tab. XI. fig. 4.* male. SEGUIER  
*Plant. Veron. II. p. 4.*

**CICUTARIA Vulgaris** CLUS. *Hist. II. p. 200.*

**CICUTA Veterum & Neotericorum** I. B. *Hist. Plant.*

**CICUTA Vera** GESNER. *Hort. p. 253.*

**CICUTA Germanorum PAULI** *Quadrif. Botanic. p. 263.*

**CICUTA Officinalis** GEOFFROY *Mater. Med. T. III.* BLACK-

WEL Herb. Tab. 451. est pessima. Störkii Icon Supplement. de Cicut. annexa est eximia.  
**RADIX** fibrosa, fusiformis, mediocris crassitiei, & longitudinis, plures fibras emittit, & in plures terminatur hibrillas, ex albo flava, rugosa, odore ad Pastinacam accedens.

**CAULIS** teres pro vario solo variam adquirit altitudinem, à pedali ultra tripedalem usque, & crassitatem interdum digitalem, cavus, variis geniculis distinctus, maculis sanguineis per omnem longitudinem maculatus, dichotomus, Pastinacam redolens.

**FOLIA** alterna, ad quodlibet geniculum unum, sessilia, basi ventricosa, admodum caulis maculata, instruta, pinna, pinnae quo sunt inferiores, eo sunt longiores, pinnae denuo pinnatae, & harum foliola iterum in pinnum morem ordinata, ultimae pinnae omnes dentatae, & sessiles, cum pinnae priores petiolatae sint; omnia glabra. Surgit ad quolibet geniculum ramus, cuius basin folii vagina excipit; hic ramus & soliditate, & foliis cum caule convenient, ex geniculis ramorum surgunt pedunculi. Genicula ramorum superiora non raro ramos denuo producunt. Odor leviter nauseosus.

**FLORES** in Umbellam ordinati sunt, & pedunculi, quo sunt inferiores, eo sunt breviores, ceterum se habent, ut §. IV. dictum fuit.

**FRUCTUS** ex oblongo globoſus & binis seminibus compitus, hinc gibbis, crenatis, punctatis, illinc vero planis, quae perfecte matura a se separata decidunt.

Nascitur passim in Europa, ut ex allegatis Auctoriibus patet, non exrat in Catalogis Plantarum Nicaenium, Sibiricarum, Ingricarum, Lapponicarum, Carniolicarum; amat, quod & Veteres jam animadvertere & hinc eam quoque frigidam eo magis pronunciarunt, loca umbrosa, pinguis, circa fossas, aggeres, sepes agrorum, nec non

libenter templorum, ruderum, arborumque umbras, deserta inhabitat. Floret per omnem aëstatem; mensibus Junio, Julio ad Augustum usque, maturat Septembri semina.

Quum autem Illustri LINNÆO adhuc duas species CONI, præter mox dictam, recensere placuerit, quarum alteram, quæ ipsi secunda est, & *Africana* dicitur; à BOERHAAVIO Indice altera Part. I. p. 65. egregiè depictam cum nunc in Horto Academic florentem benevole coram videam, describere non inconsultum duxi. CAULIS teres, pede altior, multos ramos mox ex RADICE fibrosa, tenui emittit; FOLIA vaginantia pinnato pinnata, pinnulis angustissimis, creberrime trifidis; INVOLUCRUM & universale & particulare polyphyllum; FLORES parvi, albi; SEMINA tribus striis eminentibus instructa, evidenter marginata, striæ exiguis tuberculis, quæ LINNÆO aculei audiunt, distinetæ.

Tertie, quam ab Illustri ROYENO LINNÆUS denominat, & seminibus radiato spinosis distinguit, quum Iconem egregiam ab Illustri Viro delineatam, amicissime meo summe Venerando Professori, arduo Fautori D. D. SPIELMANN missam munificè contemplari licuerit, sequentem offendit: Habitus CONIO *Africano* similis, Laciniæ FO- LIORUM tamen latiores; foliola INVOLUCRI quoque latiora, & majora, quam in specie antecedenti, PETA- LA purpureo colore superbiunt; SEMINA non marginata, striis eminentibus tota obsessa, evidentibus aculeis insignita; haec ex Ægypto Horrum Lugdunensem intravit, ejus cum nulla adhuc Icon proferet, figuram ære exprefsam hic adjeci. Ego non audeo decidere, cur placuerit maximis Botanicis duas has ultimas plantas, quæ omnino sive ad *CAUCALIDEM* L. sive ad *ARTEDIAM* L. pertinent, CONIO adnumerare.

§. VI.  
Cicutam examinaturus, nulla mihi, fateor, mens fuit,





Conium Rojenii L.

fo  
qu  
ro  
&  
hil  
má  
**V**  
tam  
He  
len  
luc  
rup  
aci  
qui  
spis  
ultr  
mat  
oræ  
viol  
faftu  
due  
tuor  
aque  
ficcari  
de n  
comm  
à refi  
cantar  
los du  
descen  
tam a





fortius torquere Cicutam, in ejus inquirere producta, quum principiis sanioris Chemicæ doctus certus sim, plerorumque vegetabilium corpora una eadem largiri producta, & Clar. GEOFRoy Mat. Med. T. III. p. 324. jam exhibuerit validiorem Cicutæ analysin; cum verò novissimè in Expert. D. LOCHER Observ. Pract. cap. IV. p. 77. sqq. Vien. 1762. legam celeberr. Prof. LAUGIER denuò Cicutam fortiori tractasse igne, hinc commissi libram unam Herb. Cicut. recentis retortæ vitreæ, quæ tradita B. A. lentissimo igne fota fundebat phlegma aquæ in modum pelliculum, parum vel nihil sapidum, fœtens Cicutam, syrupsos cœruleos non mutans, sed solutionem mercurii in acido nitri sub forma Calcis albæ dejiciens, & venereis quibus adfundebatur solutionibus, cœruleas reddidit, ergo spiritum obtinuerim urinosum paret; sensim sine sensu & ulterius aucta ignis vi multum olei nigricantis empyreumatici obtinui, atque aliquot grana salis alcali volatilis fœse oræ rostri retortæ supremæ adfigebant, quæ syrum violarum forti tingebant viridi.

Potius mili videbatur ad cognitionem meæ plantæ facturam analysin ope extractionis instituendam. Libræ duæ Herb. recentis Cicutæ dabant exsiccatæ uncias quatuor & drachmas duas, ex his ut obtinerem & extracta aquosa & spirituosa.

I. Ad *Extractum Aquosum* parandum sumsi Herbæ exsiccatæ uncias tres; tam diu hec cum tot aquæ, sæpius de novo adfusæ, defusæ, in Cucurbita Balneo arenæ commissa lente digerebam, usque dum nova adfusa aqua à residuo amplius non tingebatur. Quod à liquore decantato remanebat residuum unciam unam, plus scrupulos duos ponderavit. Liquor vero Tincturam atroviridescentem mentiens, & ex viridi flavicante colore chartam albam tingens, evaporabatur & inspissabatur ulterius ad extracti consistentiam, quod salino sapore, & ex bruno

viridi gaudebat colore, probè exsiccatum stitit unciam unam & scrupulos quatuor. Hoc extractum iteratis quoque vicibus optime exsiccatum, mox tamen in aëre mollescebat.

2. Ad *Extractum Spirituosum* recepi Herbæ exsiccatæ unciam unam, quæ pariter cum spiritu vini rectificatissimo tamdiu digerebatur usque dum post adfusas, iterumque defusas pervices spiritus ejusdem uncias viginti sex, residuum Cicutæ amplius non tingebat spiritum digestum; Tinctura haec erat atro viridis, sapor ejus ex herbaceo spirituosus, nec nauseosus mihi videbatur, odor vero fortiter spiritum vini redolebat; residuum exsiccatum drachmas sex aequabat; hanc tincturam abstractionis ope redegi in Magma nigrum, ex quo aqua tepida ipsi adfusa resinae atroviridescentis, semper mollis, insipidae, potius fatuæ grana viginti & unum dejicit. Hæc resina licet aqua tepida plures elutriata, & per diem integrum clybani calore exsiccata, imo vitri in modum pellucida, fragilis redditæ fuerit, tamen frigida facta, aëri exposita liberiori valde quoque sereno, & æstivo tempore iterum mollescere cepit.

3. *Extractum Aquosum secundum* ergo parabam ex residuo ab *Extracto spirituoso primo*, hoc digessi, maceravi denuò cum tanta aquæ quantitate, ut ultima adfusa nec amplius tingeretur; colato liquore, omni confuso viridi, procedebam, ut in *Extracto aquoso primo* fuit dictum, atque obtinui *Extracti aquosi secundi* circiter drachmas duas, primo plane confimilis.

4. *Extractum spirituosum secundum* siebar ex residuo *Extracti primi aquosi*, & hoc residuum exsiccatum cum spiritus vini rectificatissimi unciis viginti octo denuo, & usque dum spiritus nec amplius tingeretur, maceravi, Balneo arenæ digessi, & eodem planè modo ut *Extractum spirituosum primum* tractavi, omne confusum, collatum dedit denuo tincturam atro virentem in omni similem

milem priori , quæ more prioris in magma formata , & hoc præcipitatum , lotum , evaporatum , exsiccatum siftebat resinæ atro viridis scrupulos duos , quæ semper iterum , & licet per quinque dies exsiccaretur , multoties Aqua repida iubigeretur , violente trituraretur , de novo exsiccaretur , nec granum ponderis perdens liquefcebatur , mollis , tenax , farua manebat .

Eo attentius igitur , accuratius & curiosius meam Cicutæ Resinam tractavi , quia mihi mens certior analogicè hærebat , Cicutæ Virus forsitan in ea positum fore ; spes fecellit ; nam gustavi multoties timidè hanc resinam , nec urebat , nec irritabat ; uno nec ullum nisi satis fatuum linguae imprimebat sensum ; hinc audacter magis ad aliquot grana resinam masticavi adeo tenacem , ut quoque ejus aliquid dentibus semper diu illirum maneret , deglutiui jejunio ore , manens per dimidium jejunus diem nec ullum expertus sum incommodum , aut umbram mali : hinc audax ad scupulum usque & ultra iterum jejunio remanens stomacho per octo horas hanc resinæ portionem digessi , quin irritatum Ventriculum , quin ullum sentire malum , verbo optime me habui . Credebam enim , cum tunicae interiores stomachi irritabiliores essent linguae , forsitan licet linguae parcuisset , resina stomachum faltem stimularet , irritaret , aliquafisque mihi faltem dolor obveniret ; sed felicius spe cecidit experimentum , nec sensum sensi .

5. Recepit alia vice Herbae Cicutæ recentis libras duas , hæ torculari in sacco subjectæ fundebant uncias quindecim succi , qui linteo colatus , spissior quidem aliquo modo , nec tamen , ut statuit GALENUS de simpl. med. facult. L. II. cap. 2. p. 14. præ ceteris succis herbaceis viscosus magis , aut frigidus erat , saporem perfecte herbaceum , mucilaginosum sapit , nullo modo linguam irritat , vel urit , sed odorem Cicutæ fortius , imo ve-

C

hementer spirat, & valde ingratum, naribus admotus imprimis odoratum; nec tamen ut quidam statuerunt, innumeris, qui eum olficerunt, animi causavit deliquia, hic succus vitro cylindraceo vesicā integrā duplicitā madidā quam arctissime obturato, contectus pūcīs elapsis minutis adeo vesicam distendit, ut certissima vitri inde minitaretur fractura. Hinc vitrum in cubili tenens aperui, & statim omnia cubilis licet majoris spatia fortiori Cicutæ odore undequaque repleta erant, diutius, etiam omni succo semoto, fœtebant. Unde hæc phænomena! an à multo proniori Cicutæ succus præ aliis fermentatione? non credam, quum præter quod Illi aëris exterioris accessus absolutè denegatus esset; adeo brevi vix ullus oriri partium videatur posse motus intēstinus, nec ullum talem accuratissimis oculis percipere potui; atque dum succum Cicutæ rite fermentationi exposui, semper plures horæ requirebantur usque dum vel ullus levus motus fermentatius distingui poterat. Num vero potius à summa partium Cicutæ volatilitate, an à subtili quodam oriebantur? hoc alias judicandum relinquo; odor Cicutæ fortior, & aperto hīc vitro subitanæ cubilis fœtore repletio hoc saltem demonstrare videntur.

6. Tentavi etiam qualem effectum succus Cicutæ sanguini adfusus ederet, iteratis vicibus eundem sanguini ē vena fluenti & subdiversa proportione admiscui, nullam autem inde vel minimam in sanguine surgere mutationem observare potui, & quod diuturnior extracti cicutæ usus nihil demat sanguini, imo potius illi conciliat naturalem crasim probare videntur observata Clariss. STOERCKII *De Cicuta L. II. cap. IV. Coroll. I.* atque Dottissimi LOCHER *Observat. Practic. cap. IV. p. 103.*

7. Ut quoque Extractum Cicutæ Clariss. STOERCKII obtinerem, suci Herbae Cicutæ recentis expressi, neutruquā depurati uncias quindecim inspiissavi ad syrupi

consistentiam; Gustavi & adhuc dum perfectè sapiebat insipidam leniter satuam, si mavis nauseosam Herbam, & hoc magma viride ponderabat uncias quatuor & dimidiā. Hujus dimidiū lente & cautissimè recepta encheiresi in vase terreo fortiori crusta vitrea tecto, ad Extracti vegetabilis inspissabam consistentiam, æquabat unciam unam, molle erat, ex bruno viride, fortius salsum, leviter nauscosum, semper proprio Cicutæ odore manet infectum. Extracti hujus unciam unam per quinque menses in loco aëri liberiori exposito reliqui Scatulae inclusam, charta tectam, ut viderem, nūmne incorruptum sese asservaret hoc Extractum; atque elapsō hoc temporis spatio vidi totam hanc massam, ut antea, & saporem, odorem & consistentiam Extracti Cicutæ referri; quod mirum, undequaque spiculis Salinis, quasi efflorescentiis, cristallos mentientibus, pellucidis, quæ frigidi quid, ut nitrum, linguæ imprimebant gustatæ, in igne crepitantibus, hoc extractum tectum gravidum erat. Ob parciorem quantitatē, mihi in naturam hujus salis investigandi, copia nulla erat.

8. Quoniam vero hoc Extractum, more recepto præparari solitum, Empyreumatis facilis contrahere valeat vitia, ut inde monuit celeberr. STOERCK, suas utique deperdere possit vires, id quod & ejus salini saporis imminutione, & ex notis empyreumatis in alteranda Extracta viribus elucescit, hinc illud in modum Illustr. Comitis DE LA GARAI paravi, hoc in omni priori simile observavi; præterea, quod in hoc Extracto nullus combustionis metus, nec virium deperditio sit, sapor, odor plane iidem, imo exquisitiores vigeant, patet, est perfecte sub salsum, nec ulla Empyreumatis nota maculatum; sed & quoque hoc Extractum statim ac frigescebat, mollescebat, aërisque, & quidem illi solummodo cubilis expositum, adtrahebat humidum, & brevi sen-

sim siue sensu ita molle reddebat, ut mox massam constitueret planè mollem, tamen ut cera tenacem, falsam, omnis Empyreumatis expertem, ceteris ut dixi, in omni Extracto Cicutæ STOERCKII si non præstantiorem, saltem parem, æmulam.

9. Certam quoque Herbae Cicutæ quantitatem destillavi, ut aquam Cicutæ acciperem, destillavit, ut aliae aquæ insipidæ vegetabilium destillare solent, nec ullam inter alias insipidas aquas destillatas, viribus expertes, & illam Cicutæ reperiri potui differentiam; quamquod illa Cicutæ mihi valde nauseosa sapiebat, naribus exhibita fœtebat.

10. Herbae Cicutæ uncias octodecim methodo Tachiniana incineravi, dederunt cinerum alborum drachmas quinque, his elixivatis, lixivio inde obtento ad cuticulam evaporato pervices, adfundum vasis secesserunt miculae salinæ, quæ repetita encheiresi congestæ constituebant salis alcali fixi scrupulum unum & aliquot grana.

11. Quum autem Clariss. STÖRCK *Traetatu & capite 1. de Cicuta p. 9.* annoget Radicem Cicutæ recentem in taleolas sectam fundere lac amarum, & acre, atque adeo, ut gustata apice linguae unica, aut altera hujus succi guttula mortem Celeberrimo Viro minitaretur . . . hinc curiositate, genii mei calcare stimulatus, ut eadem mira videbam, sed frustra pluries pertusus, triflis quæsivi; variarum enim ætatum, & tenerrimas ad semi-lignosas usque Radices separatim discidi, digitis fortiter compressi, ut lacteum tandem obtinerem succum, non obtinui; sed limpidiusculus, flavicans parum, gustatus & pluries & largius, ut præsentes horrerent, post aliquot minuta fauibus, linguae solummodo sensum leniter urentem, non amarum imprimebat, qui brevi semper evanuit; nec lingua rigida, nec tumens, nec dolens inde facta fuit. Ulterius progressus harum radicum juniorum, optime

succosarum, quæ per se gustatae Pastinacas, aut mavis apium dulce CELERI Italorum dictum, mentiebantur, libras duas in minores taleolas sectas prelo subjici; validâ torturâ uncias septendecim & drachmas quatuor succi lutei, spissiusculi, primò saporis sat dulcis, dein leniter urentis, Petroselinum, aut si mavis Pastinacam olentis expressi. Licer admodum largè à me gustatus, lingua diutius, quoque fuerit detentus, tamen nec nisi lenem ardorem, nullam inflammationem impressit, excitavit; brevi econtra omnis sensus evanuit. Finem vero pressionis radicum versus, saccus guttatum demisit ad unciam unam & ultra, succum à priori plane diversum, aquæ in modum limpidum, pellucidum, admodum suavem, dulcem, parvum ad flavum inclinantem, nullo modo, copiosissime gustatus, urentem; quid de his statuendum sit, alis mitto; quæ testibus Clariss. SPIELMANNO Professore meo summe gratioſo, & ejus discipulis mira vidi, scribo. Succum priorem in vase vitro quiescere feci, & vix uno elapsso die jam fortiter fermentare, valde foetere, faeces adfundum dimittere cepit, & ad eo magna copia, ut octidui spatio ad trientem sui recrementa, feces depoſuerit, & mucida pellicula tectus esset; hinc eum colo subjici, feces separavi; liquorem limpidiorem, nihil fere amplius flavicantem, albumine ovorum leni coctio-ne ulterius purgavi, unde succum à mucilagine copioſiore purgatum, sic & clarificatum balneo arenæ commisi, evaporavi, & dum ad dimidium suae consumtionis pervenerat, licet lenissimo digestionis igne tractatus fuif-ſet, non minus erat torus bruno nigricans, parum sal-ſus, magma syrapi conſistentiam induens referebat; hinc & illum denuo ab igne depositum per plures dies sibi reliqui; ſitum contraxit novum, atque ejus superficies mucidis diſtinctis tegebatur placentulis; colatus denuo, ſiquidem ad fundum nihil depositus, & iterum evapora-

rus lentissimo ba'neo arenæ, ad siccitatem usque inspissatus mihi largiebatur massam alcalinam acriorem, quæ pluries elixivata mihi unciam unam & grana decem alcali albicanis stirit, quod fortissime cum acidis effervescebat, nec tamen in humido aëris, nisi ægre, liquefcebatur, quod ergo obtinuerim alcali vegetabile fixum quis non perspicit.

12. Vidi perlegendo Authores de Cicuta quod longe plurimi & præfertim Veteres Cicutæ semen reliquis ejus partibus longe præsentaneum magis venenum crederent, decantarent. Collegi igitur Cicutæ semen perfectè maturum, imo aridum, gustavi, manducavi & saepius, & largius jejuno manens ventriculo, ad drachmas usque deglutivi, quin ullo alio, quam Herbæ siccæ, & inodoræ adficerem, sapore; nec unquam quid mali, sit ardoris, sit doloris vel in lingua vel in stomacho sensi. Quum vero seminis grana varia decorticarem, reperi sub cortice tenuiore griseo nucleum ex flavo album, splendore cornu & duritie referentem. Inter ungues primò fortius pressum semen oleosi quid & pinguis unguis impresit.

13. Ideo recepi seminum dictorum unciam unam cum semisse, hanc quantitatem in mortario probe tundere curavi, eam fæcculo commisi, torculari subjeci, atque olei blandissimi unguinosis, parum fatui, si vis, oleum nucum, ut dicunt, frigide paratum aliquo modo mentientis, ex bruno flavi, spissioris scrupulos tres cum semisse obtinui. Diu hoc oleum Cicutæ & ultra tres menses in vitro epistomio clauso adservavi, nec ullam ideo acredinem contraxit, imo dulce dein parum, ut oleum Amygdalarum evadebat. Ab initio pressionis suæ perfectè Butyrum Cacao spissitudine referebat, sed tempore multò magis liquefcebatur. Multoties illud gustavi, ventriculo per gutras commisi, nec umbram mali exper-

tus sum. Alia cum eo experimenta instituere non potui, quum ejus quantitas haud sufficeret, nec favens illud experiundi occasio existeret; & ex dictis arguendum est, quod hoc oleum præ cæteris unguinosis nullas possidere debeat vires.

14. Ut quoque sál essentiale Cicutæ obtinerem, sudavi, hinc sumsi succi Cicutæ expressi uncias octodecim, quæ per subsidentiam depuratæ, colatae uncias dabant quindecim, ulterius depuratæ, & albumine ovorum optime clarificatæ, filtratæ, valde lento calore evaporatae, ut ad perfectam crystallisationem aptæ, diutius in loco frigido detentæ, & licet magis evaporarentur, magma tamen semper ex bruno viride, Cicutam & olenos, quamvis falsum, evidenter sapiens constituebant, nec milculam sális essentialis largitæ sunt.

### §. VII.

Jam vero ad vires Cicutæ ut perveniamus; profectò modo dictæ, & aliae q̄ acunque ejus qualitates à priori spectatae, pensatae, vix aut nullum, ad ejus eruendas proprietates & effectus, lumen adferrunt; & si quid mirandarum Cicutæ primò Herbae facultatum causæ suspicionem tradere posset, foret omnino proprius, unicus ex multis ejus fætor; atque hinc nec male *GALENU斯 de simpl. med. fac. L. IV. cap. 18.* venenatam esse Cicutam arguebat, dicens: » multa vero etiam statim ipso odore aliena sunt, planeque pugnantiam cum homine ne indicant, velut Cicutæ succus: qui profectò non aliud, quam Herbae ejus odorem spirat, & revera hic proprius fætor, ut patet ex dictis §. VI. N. 5. & claro sensuum testimonio aliquid subtile actuosum arguit, demonstrat; quid vero illud sit! an sulphur sylvestre narcoticum cum *JUNGIO Epb. n. c. d. I. a. 4. & 5. Observ. 106. p. 107.* absurde dicam? an cum *TOURNEFORTIO Hisp.*

*des Plant. de Paris p. 258. & GEOFFROY Mat. Med. T. 3.*  
*p. 325. admittam, quod Cicuta in se salem contineat aut*  
*fali amoniaco aut alii volatili urinoſo analogum? plane*  
*non. An potius, multo absurdius cum KOENIG Regn. Ve-*  
*get. c. 6. p. 80. salem volatilem arsenicalem arguam? Vel*  
*alia quæcunque a Veteribus præcipue credita Cicutæ*  
*principia à me nullo derecta vestigio, in favorem hu-*  
*jus Cicutæ foetoris, aut aliis effectus incerti perperè cre-*  
*dam? non. Dedece omnia in Chemicis, imo in Phy-*  
*sicis alia admittere, quam quæ sensibus assequi poslunt.*  
*Quid vilius, quæſo, quam corporibus talia affingere*  
*principia, quæ nullo detegere possumus experimento.*  
*Hinc statuo Herbam Cicutæ effectus suos edere non ob*  
*partialem aliquam, vel unicam qualitatem, aut quia par-*  
*tium sit heterogenearum ut PAULI *Quadrip. Botan. class.**

*III. p. 263. volvitur; & an hoc non omni competit vege-*

*tabili? Sed quod tota Cicutæ constitutio, que potius*

*hæc, quam non alia temperies, propria natura ab aliis*

*omnibus distincta sit, & quod ob totam suam substantiam*

*nobis profectò in multis teſtam, diros per ſe, & mites*

*imo optatos, ut infra patebit, bene uſa producere va-*

*leat eventus. Fateor, me nec multo meliora, faltem*

*vix notiora, talia statuendo, proferre, aliis haud*

*clariora ſcribere. Aſt ſufficiat mihi axioma in Phy-*

*sicis adprimè notatum jam diu noſſe. Quod homini qui-*

*dem plures pateant corporum qualitates, lateant vero illum*

*miserrime, & in omni fere primarum corporum qualitatum*

*principia... Et ubi meliorem ſibi hæc propositio evi-*

*dens, quam ad Cicutæ Herbae virium cauſas applicata*

*vindicaret locum, ego faltem non perſpicio. Radices*

*vero Cicutæ quod ſpectat, utique lux adfulget, ſenſus*

*loquuntur, ſapor, odor evidentissime, quid judicandum*

*ſit, docent, ſpondent; & meritò ex parte Radicum ſa-*

*poris acris, urentis, odoris Paſtinacas, dixi, mentien-*

*tis,*

vis, quod inter venena acria, rodentia ventriculo ingestae reputari, omnia mala ob acredinem suam urentem affumpta Cicuta formari possit, quis negabit, pater, & hoc evidenter à posteriori inferius demonstrabo. Ast! annon quoque exinde nobis argumentum statuere liceret, ad Cicutæ Herbæ vires etiam aliquo saltem modo noscendas, earum rationem perspiciendam? Et quidem nonne idem succus radicum, quod caulem, ramos, folia plantæ intret, nosco? hac saltem cum differentia, quod per vegetabilis mechanismum, organa, canaliculos, folliculos, rexturam cellularē circulans, stagnans, evaporans, fecernens succus depuretur, aliam sed perfectiorem, puriorem induat succus Caulis, Herbæ naturam, temperiem, eo magis, quum & plantas scimus copiose humidum aëris inhalare; hæc docente Philosophia Botanica. Jam vero qualem gradum perfectionis adquirat, & differenter depurationem succus Herbæ, ab illa Radicis temperie, in Cicuta nec in aliis quibuscumque vegetabilibus, fareor, demonstrare, quod mihi ultra vires & cunctis forsan adūvælo videtur, possem. Certum tamen stat, quod Radicis succus in Caulem & hujus partes promotus subtilior, & perfectior evadat; ergo & Radicum Cicutæ effervescens acre subtilius fiat, liquidius, perfectius in Caule, concludo, & hoc quaro, hoc antecedenter dixi. Num verò hoc subtile acris, imo narcoticæ indolis, si velis, sit aliquod gummosum, mucilaginosum? An gummi resinum? An oleum essentiale? An resinum purum? Discutere non valeo; quod non consistat in duabus ultimis substantiis, & semina ejus dulcia, copiose oleo unguinoso præ ceteris partibus referta, & resina obtenta, superius vide dicta, perfectè insipida, vel farua, probare videntur; non tamen ideo arguam gummosum, mucilaginosum Cicutæ inherens; quamvis nihil est, quod impedit, quo minus hæ substantiæ acre subtile aliquod in se condere valeant.

D

Abstrahit, hypotheses naufragio; quod subtile aliquod sensibus probatum adstet, demonstravi; atque non minus distis evictum videtur, virtutes Cicutae esse effectus ejus primarum qualitatibus, quarum principia & ratio nos lateant; ergo potior ratio nulla est, cur Cicuta per se spectata venenatas possideat vires & salubres, quam quod haec ejus ob propriam constitutionem sit natura, & non alia; atque quod radicum virus cum CÆSALPINO de Fruct. & Herb. L. 7. c. 27. & pluribus aliis, multo validius sit, quam illud semenis, cui nulla videtur vis insita venenata, contra GALENI plurima loca statuo.

### §. VIII.

Distinguunt tamen Authores plerique inter vires Cicutæ, quatenus venit externè corpori humano admota, & quatenus internè adsumpta operatur. Eam fere omnes internè datam summe declamant venenatam, famosam, certo letalem &c. ut alia transeam, quibus nigricat Epitheta. Cur verò letalis sit Cicuta, per aetates artis Medicæ Authores inter se altercantur, varias sentiunt sententias. Græci ad quatuor absurdas corporum primarias qualitates, & harum gradus, imaginationis depravatae filios, sistente, autoritate GALENI, obcaecati, pressi, respicientes, imo, ut & ipse GALENUS ideo in longe plurimis erroneus, omnia corpora naturalia secundum unum aut alterum ab illis in corpore humano excitatum phenomenon, saepius secundariò productum, dijudicantes, invitis licet Natura, Ratione, sensibus, trahebant; quæ fors misera plane eadem cecidit Cicutæ. Hinc eam ob qualitatem frigidam frigore lethali necare homines asserit GALENUS paullum, maxime autem de Med. facult. L. III. cap. 6. & 18. L. IV. ejusd. tit. c. 18. de Caus. Morb. L. III. c. 3. de Compos. Med. per gener. L. I. cap. 1. sed idem Author nec hic sibi conflat, cum calidam pronuntiet Cicutam de Temperam. L. III. de simpl.

*Med. Facult. L. IV. c. 18.* GALENI à partibus stant DIOSCORIDES *L. III. cap. 77.* AELIANUS de *Nat. Animal.* *L. IV. c. 23.* NICANDER *I. c.* CELSUS de *Med.* *L. V. c. 26.* PLINIUS *H. N. L. XIV. cap. 5.* *L. XXV. cap. 13.* AETIUS Tetrabil. *IV. Serm. 1. cap. 63.* CÆGINETA *L. V. cap. 62.* ORIBASIU de *Simpl.* *L. V. c. 50.* SERAPIO de *Temper.* *simpl.* ABUALI IBN TSINA *Canon. Med. L. II. Tract. 2.* SYLVIUS de *Med. Simpl. Nat. L. 1.* FRANC. ALEXANDER de *Electuariis.* ALEXANDRINUS de *Salubrib.* *L. VII. c. 2.* FUMANELL. *oper. p. 206.* PERDULCIS *univers. Med. de Venen.* *L. IX. cap. 6.* FERNELIUS *Method. Med. L. VI. cap. 5.* FALLOPIUS de *Med. Simpl. p. 36.* & vix non omnes DIOSCORIDIS commentatores, & qui hos exscriperunt. Philosophorum apud GALENUM de *Med. fac. L. III. c. 6.* quod Cicuta calida sit, sententiae subscriptae AVERROES de *Simpl. cap. 42.* CONSILIATOR differ. CL. LONICER *Hist. Nat. p. 238.* RUEBEUS *Annotat. in CELSI L. VI.* CARDANUS de *Venen.* *L. 1. cap. 2.* SENNERTUS *Med. Pract. L. VI. cap. 4.* PARKINSON *Theatr. Bot. trib. 8. cap. 32.* Principium salinum acre Cicutæ affingit HOFFMANN *Med. Rat. Syst. T. II. P. II. cap. 11. §. 15.* que quoque MAGNOL *Hort. Reg. Monsp. p. 56.* Sententia, & quam non pauci, qui ad principia vegetabilium eruenda, non eorum compositionem, sed effectus in corpus humanum observant, sequuntur. Mihi Radix cum evidenter acri sit, primas vias rodendo, inflammando, gangrena & sphacelo adficiendo videtur agere; planè aliter de reliquis Cicutæ partibus erit statuendum, hæ dum planè nihil acri lingue imprimant, in modum Narcoticorum, innui, agere probabile est. Num hic aliiquid illustrat phænoimenon (§. 6. n. 5.) observatum? Cerre cum halitus vesicam vasis, quo succus continebatur, distenderit, idem à Cicuta devorata in ventriculo oriturum non male, eo magis, suspicamur, quem observata varia & sectiones Cadaverum Cicuta enecatorum hoc probare videntur, ut ex variis pa-

sim citatis videre est authoribus. Demonstrat vero praesertim Clariss. HARDERUS, conferantur ejus Experimenta *succi Cicutæ terrestris* annexa *Hist. Cicut. Aquat.* WEPFERI curante ZWINGERO p. 334. morte & sectione Cuniculi Brasiliensis, qui, quum hausto Cicutæ succo enecatus cecidit, sectus intestina & ventriculum solummodo inflata, nec gangrenata, nec erosa expertus est. Distentus autem ventriculus non solum respirationis turbabit negotium, sed quoque par octavum inde irritatum, haud leves in sensorio communis excitabit turbas. Nonne Cicutæ in alcalescentiam nisus (§. VI.) quoque aliquam ejus in fanguinem effectibus lucem affundit? Nonne inde perspicere possumus quo modo Massam humorum rarefacere, ex hinc effectus narcoticos possit producere? Cicutam tamen à vario quoque animalium genere impune comedи, notar GALENUS de Temper. L. III. p. 24. & de Simpl. Med. Facult. L. III. c. 18. AELIANUS de Nat. animal. L. III. c. 7. idem testantur longe plurimi authores de Cothurnicibus. Scimus quoque LUCRETIUM L. V. de Capris canentem, quippe videre licet pingue scere sape cicta barbigeras pecudes, homini que est acre venenum; cui quoque PLINIUS L. XXVIII. cap. 10. VARRO de Re pecuaria L. II. cap. 3. assentuntur. RAJUS Hist. Plant. t. c. ventriculum Turdæ avis semine Cicutæ feplerum reperit. Sed haec & similia esse verissimis adscribenda mendaciis HOFFMANN de Med. offic. L. II. cap. 67. & HEUCHER de Mitbridar. afferunt. Id ego in patria mea multoties vidi, & quod nostrates optime cavent, ne anseres juniores Cicutæ herbam depascantur, quam tamen pulchriore viridi profecto allecti, minus experti fortius amare præ multis herbis, recordor, quâ semel devorata, mox temulenti titubantes evadunt, & tandem in furorem, convulsiones potius acti miserandi moriuntur. CHOMEL quoque Part. I. p. 187. du Diction. Oeconom. dicit, Cicutam equis esse exitiosam, & si ejus herbam devorave-

runt, eorum caput adgravari, & ita ut titubare incipient, feso ad muros cadere patiantur.

## §. IX.

Multa omnino sunt, quæ Auctores ex assumpta Cicutæ surgere viderunt mala; In primis viis leguntur inde fuscitatæ Cardialgiæ, nauææ, compressiones præcordiorum, singultus, anxietates, ventris intumescientia, fibrarum ventriculi, & intestinorum validæ irritationes, tormina, vomitus vehementes atque dejectiones, quales & Amicis meis à Cicutæ foliis in acetario pro Chærefolio assumtis accidisse bene recordor, qui ex hoc cibo, unus præ altero, fortiorem contraxere diarrhoeam. JUNGIUS Epb. N. C. d. I. a. 4 & 5. Observ. 106. arguit quoque quod Cholera & Diarrhoea suo tempore ab esu acerariorum & herbarum recens collectarum dire crassantes, unice inductæ fuerint, quia his vernalibus herbis Cicutæ ab ignaris verulis eas colligentibus intermixi soakerit: Conf. DIOSCOR. NICAND. AETIUS. LÆGINET. PERDULC. SIM. PAULI. ROESLER. HOFFM. l. c. Organis respirationis & deglutitionis inter alia obvenerunt linguae titubatio, vocis defectus, ardorum faucium, sitis intensa, deglutitio impedita, strangulatio, enormes gulæ spasmæ, suffocationis metus plures, & adeo repetiti interdum, ut ægri vix ullius respirationis fuerint compotes, imo planè examines, quæ tandem sœpius interceptra respiratio, suffocatio ipsa morte terminabat symptomata; hæc præter dicta authoris quoque l. c. restantur RUELLIUS, KIRCHERUS Lib. de peste. SENNERTUS excruciant corpus segnities, gravitas artuum, titubatio, lapsus, stupor, torpor, algor, pallor, livor præcipue faciei, sensuum hebetudo, anæsthesia, extremarum partium perfrictiones, tremor membrorum elangidorum, gelidusque per artus decurrentis sudor, convulsiones, ritus far-

donius, firma oris & dentium reserratio, defluxus sanguinis ex naribus, muci viridis ex ore, subsultus tenditum, artuumque; pulsus plerumque tardus, rarus, debilis; imo interdum nullus, syncope, ~~ασφενία~~, vera mortis imago; imo interdum pulsus celer & febris vi-gent. Confer. dicti & CELSUS l. c. & quod præ-terea in Necatorum corporibus maculae adpareant interdum, PLIN. SCRIBON. LARG. MATTHIOL. propriis Historis testantur. Imo PAULI *Digress. de Febr. malign.* refert, ea-dem plane homini, qui Cicutam assumserit contingere symptomata, ac illis obvenire soleant, qui febre petechiali ægrotant. His accedunt quoque l. c. CARDAN. DORSTEN. LOBEL. AMAT. LUSIT. FOREST. FALLOP. TRAG. J. BAUH. &c. Sed horrenda quoque Cicuta excitasse legitur phantasmatra, caligines oculorum, mentis, vertigines & ita fortes, ut nec minimum quidem, etiam eminus dissitum cerni potuerit, mentis alienationes, deliria diversissima, œstrum veneris, sopores, amentias, dormiendi nifis, furores, pervigilia, Confer. Auct. citati. Imo ipse occasionem habui territus observandi effectus à Cicuta comepta, cum meus frater farta ova, in quæ Petroselini vice, errore ancillæ, folia Cicutæ, vere incipiente, recepta fuissent, co-medisset. Valde post paucum tempus titubavit, caligavit, deliria varia passus est, mox lachrimatus, mox risit, vomuit sponte, tamen intumuit, & ira, ut de vitæ, ventrisque ruptura periclitaretur, nec urinam mittere valeret, nec yerba proferre, nec sese erigere, jacens & temulen-tus erat, usque dum illi largius oleum amygdalarum dulce & lac vaccinum, propinaretur, ingurgitaretur; unde sensim sensimque symptomata, & postea præcipue pinguioribus carnium jusculis datis debellata, tandem remit-terent, purgantibus, roborantibusque lenioribus ad interim exhibitis ostenduo in totum restitutus, sanatusque fuit. Corporum Cicuta necatorum sectio demonstravit

teste FRID. HOFFMANNO *l. c.* quod inflammations, excoriationes, rosiones, maculæ, stigmata sphacelosa post mortem satis copiose præsertim ventriculi latera exceperint, & intestina devastaverint; hinc utique nec mirum, Cicutam in ventriculo atque intestinorum tractibus diras suas ludere tragœdias, quum immediate, si ingesta fuerit, partes adeo irritabiles, ab intercostali & oœstavo pari, nervis ad eas abeuntibus, exquisitissimo sensu, moru peristaltico gaudentes, atque adeo cum universi fere corporis præcipuis saltem partibus consensum alentes tangat, adjiciat, irritet, arrodat. Diutius quoque sæpe illis immoretur, foveatur; hinc symptomata eveniant viscerum fere omnium abdominalium, præcipue tamen ventriculi, intestinorum; gutturus quoque, faucium, laryngis, œsophagi, bronchiorum, pulmonum, respirationis, quum inde & solida irritentur & fluida exagitentur, omnia in motum cieantur, nulli miramur. Sed quod magis stupendum, Clariss. HARDERUS *l. c.* dissecto suo Cuniculo, qui succum Cicutæ hauriens periit, nullum alium detergere mortis stigma poterat, quam quod ventriculus & intestina aliquando inflata, intus tamen nullo modo corrosa, gangrenata essent; sanguis vero in cordis penetrabilibus fluidus extiterit, viscera cætera nulla labe notabili laborarent; nonne hic ea, que de succo Cicutæ vitro inclusa, exactè clausa notavi, bene concordare videntur? Modo enim fiat, & revera contingere debet, quod aliquid succi Cicutæ, sit vaporosum solummodo, sit vel ipsum fluidum & rora succi substantia absorbeatur, inhaletur, necessario sequi debet, quod partes Cicutæ inhalatae summe vaporosæ, in alcalescentiam adeo pronæ, vel canales distendendo, fluida separando, vel alterando facillime turbas, utique contractiones, distensiones, in systemate nervoso & arterioso excitent.

## §. X.

Plura sunt, quæ Cicuta gignit symptomata, & quod eorum hæc, mox illa occurrant, observarunt Auctores; unde quam arduum sit, distinguere, an aliquis veneno hausto ægrotans, Cicutam sumiserit, nec ne? Clarum fit; eo magis, quum gravissimi Authores statuant, confirmant variis in locis, quod & passim eadem Cicutæ symptomata, & aliis quoque venenis adsumtis præcipue vegetabilibus acribus supervenire soleant, id saltem observo, quod omnes fere Auctores ab assumta Cicuta præprimis vertiginem, & caliginem oculorum annotent. Meliorem tamen omni, nobis notitiam dabit, prægressa sedulo inquirere, ut medicationem rationalem securius adgredi, certiora propinare possemus antidota, atque iis & ratione, & experientia laudatis eo felicius, citius occurrere valeamus. Hinc utique ea omnibus palmarum præripiunt, quæ ad vim aliorum quoque refringendam venenorū vegetabilium, ac illam Cicutæ curationem promovendam æque conducunt. Diversissima prorsus extollunt Auctores Cicutæ antidota, et vel veneni naturam imitrandi ergo perperam data, vel illud eliminandi caufa bene exhibita, vel partes debilitatas restaurandi usu administrata fuerunt. *GALENUS de Simpl. Med. Facult. L. III. cap. 20.* laudat *VINUM*, ut Cicutæ antidorum, sed ita ut, si Cicuta paucissima plurimo miscatur vino, prorsus devinci possit, sin paquo multa foret intermista, non solum minimè dometur, sed eo certius, imo irremediabile venenum, ad cor facilius penetrans, ocyus necans evadat. *L. de Theriac. ad pison. cap. 1.* quoque *THERIACAM* ad Cicutam edomandam, immutandam maxime valere dicit. Noscimus Theriacam, eam vim sudoriferam, irritantem solida, exagitantem humores, præcipue vero virtutem roborandi stomachum possidere fatemur; ast nec non esse compositionem valde diffonam, dein nihil omnino ad Cicutæ virus, nisi priùs aliis mediis

mediis ex corpore eliminatum fuerit, per se, immediate valere, potius imo nocere, dicere cogimur. Multo adæquatiūs de his, cum NICANDRO l. 6. qui ENEMATA ad venenum Cicutæ arcendum probè laudat, præcipit DIOSCORIDES L. VI. c. 11. nam, si Cicuta devorata fuerit, vult primo & ante omnia esse adhibenda VOMITORIA, secundò PURGANTIA, ut & per superiora, & si quid ad intestina veneni delapsum fuisset, per inferiora educatur; & postea, quod efficacissimum remedium forment MERICORIS VINI HAUSTUS LARGISSIMI per intervalla repetiti, sed ira, ut his intervallis potus LACTIS BUBULI vel ASININI interponatur, quin & PASSUM per se potum egregiè auxiliari spondet; consulit nec non ABSINTHIUM, PIPEM, CASTOREUM, RUTAM, MENTHAM, URTICÆ SEMEN, LAURI FOLIA, AMOMI LIQUOREM, CARDAMOMUM, aut STYRACEM; omnia per se vino mista; LASERPITIUM similiter cum OLEO & PASSO credit juvare. Quod hæc medicatio, ut ut veruſta, & licet præjudiciis fucata, tamen omni præferenda, non solum ad Cicutæ vires edemandam sæviem, sed & aliorum venenorū vim deleteriam præcipue acrem in corpus humanum compescendam sit optima, bene ordinata, ex dicentis patebit. AETIUS Tetrabib. 4. Serm. I. c. 63. eandem imo magis ordinatam, ac DIOSCORIDES, commendat medicationem, atque aromatibus ab ipso descriptis jungit APII SEMEN, IRID. RAD. SESELI MASILIENSE, nec non singula in VINO DULCI sumenda præcipit; NITRUM quoque cum AQUA LARGA potum extollit; subjungit, quod rotum præterea corpus calefacere conducat, imprimis vero præcordia; nec minorem opem ferre suaderet, ad vehementiores motus, & ad cursum excitare ægrum. Ad hos prorsus accedit ÆGINETA de art. Medend. L. V. præfertim tamen adversus Cicutam, præmissis dictis præmitrendis, commendat VINUM DULCE seorsum pro-

E

lixius & liberalius haustum. Atque satis apertè declarat PLUTARCHUS *Lib. περὶ ἀσθενειῶν.* quam scitè veteres usi sint vino, ut summo Cicutæ antidoto, enarrans historiam scitu satis dignam de illis, qui templum depecularuri priùs Cicutam potaverunt, secum lagenam vino plenam adtulerunt, ut si capti fuissent, veneno interirent, sin minùs vini potu sese à veneno liberarent. Græcis laudata antidota commendant quoque PLINIUS & CELSUS *l. c.* hic tamen præterea præcipit, ut is, qui Cicutam assūmerit, si febre vacat, in *CALIDUM BALNEUM* immittendus, sin minùs ungendus sit ex calefacientibus; postea ei quietem valde necessariam credit. Arabes, Barbaro Latini, & ad saecula usque recentiora omnes fere Auctores Græcorum statuta Cicutæ antidota fovent, eaque, unum tamen magis præ alio, extollunt, præferunt, aliaque condunt, addunt. Sic TRAGUS *Hist. Stirp. L. I. c. 159.* obseruavit *ACETO* largius hausto Fœminam Cicutam venenaram integrè restitutam. RUELLIUS *l. c.* inter alia aliorum præcipue *MUSTUM* ex *OLEO* potum, redditumque vomitionibus, non male, privatum contra Cicutam valere, afferit; adjicit quoque *ACETUM*, & monet *ORIGANUM* in *PASSO* iis, qui Cicutam aut Opium bibere, dari. FORESTUS *L. XXX. Obs. X. Schol.* cum ABANO *Lib. de Venen. cap. 18. p. 266.* dicit, *Cicutæ Bezoar est pulvis Gentianæ cum Vino;* adprobat tamen non minùs, sicut SENNERTUS *Med. præf. L. VI. part. I. cap. 5.* valdopere medicationem Veterum Græcorum ad esum Cicutæ præscriptam. PARÆUS *Oper. de Venen. L. XXI. cap. 45.* ad exemplum NICANDRI præter vomitus usum laudat ociorem *CLYSTERUM.* Clariss. SCHWENCKE *Comment. Lips. VI. p. 608.* ut irrita, vana econtra declarare audet injecta in turbis à Cicuta excitatis Clysmata; » quia, et si, air, fortè quædam particulæ Cicutæ ad to- » nuia transierint intestina, tamen illa huc non pervenient. » Et quando semel Cicuta descenderit ad crassa, Clysmata

tamen ægris jam viribus fractis vix ac ne vix quidem  
 opem ferre possint... Verum enim vero, fateor, si  
 vires semel fractæ fuerint, mortem ægrotus intueatur,  
 quod tunc nihil prorsus Clysmata conferant; ast! an hoc  
 dein Clysteres sibi magis, quam alia quoque præstantissi-  
 ma remedia commune habebunt? Minime; in tali enim  
 statu, quo vires adeo fractæ sunt, ut Enemata nullum  
 amplius præstare possint effectum, & profectò alia que-  
 que adhibita ruent incassa; nullus tamen negabo Clysmata  
 ad tenuę intestinum naturaliter penetrare non posse. Hoc  
 tamen unusquisque mihi profitebitur, fieri enematibus  
 derivationem & faciem & humorum; ergo & Cicutæ par-  
 ticule saltem loco moveri, sese plicis intestinorum subducere,  
 non jugiter eodem loco hærere, nec acri suo tam  
 facile rosionem exerere posse; igitur adhuc minus inflam-  
 matio vel excitabitur, vel quoque mora, si fuisset excitata,  
 progressus faciet; quum Clysteres egregiè relaxent, ut  
 forus ad tenuia quoque intestina se teneant crassis recepta;  
 hinc stricturas, dolores, inflammations facile faciundas  
 compescant, tollant, nec minus humores revellent, hinc  
 vel therapeuticè inflammations, & harum funestissimas  
 arceant sequelas, vel quoque prophylacticè satis citò &  
 crebius injecta illas partim avertant, palam est. Et quid im-  
 pediat? quo minus satis citò Cicutæ partes ad crassa de-  
 ferri possint intestina, ipsis immorari, quin imo, potius  
 videtur in his, quam in tenuibus stagnare, delitescere  
 posse; scimus enim, multo magis sensilia, irritabilia ex-  
 quisitioni motu peristaltico esse prædicta tenuiora intestina,  
 quam crassiora. Deinde Auctores, dixi, passim confir-  
 mant, dejectiones alvinas ab esu Cicutæ excitari, ergo &  
 ideo, ut non minus ex dictis probatum stat, Cicutæ ad  
 arcanda mala usum Enematum esse egregium, pater. Laudat  
 nec non, sed minus bene, citatus PARÆUS præter genero-  
 sioris VINI MALVATICI vel HIPPOCRATICI hauftus, potum

largiorem *SPIRitus VINI*, profectò seductus Theoria  
 Veterum de Cicutæ summa frigiditate. QUINCY *Pharma-  
 cop. univers. gallic. vers. Sect. X. §. 599.* optime quoque ad  
 vim Cicutæ cicurandam, si per infortunium foret assum-  
 ta, extollit *JURA PINGUIORA*; hæc enim non modo ut  
 pingua, sed & quoque per egregiè ut gelatinosa condu-  
 cere, demulcere, acre tundere, licet & liquores oleofos  
 ipsi etiam laudatos certò maxime hic juvare, pater; ut  
 sic à Cicutæ stimulis, sint ab acri, sint a vaporoso subtili  
 penetrante foetido distendente excitati, stomachus, inter-  
 testina eroſa, diftinta, nec non vasa & fluida demulcentur,  
 corrigantur, relaxentur, abstergantur, ab inflammatione  
 arceantur, & oblinita, optratius omni, ab ulteriori saltem  
 progressu mali defendantur. Quod igitur passim dictæ  
 indicationes, & indicata sint egregia, modo suis exse-  
 quuntur congruis stadiis, facile unusquisque videt. Lau-  
 do hinc & in limine curæ vomitoria, non ea tamen, quæ  
 ob propriam aliquam vim irritandi, vellicandi vomitus  
 plerumque vehementes excitant, sed talia, quæ, sit ob  
 molem propriam, vel quod idiosyncrasie, nescio quo-  
 modo, naufeas moveant, naturaliter, satis placide natu-  
 ram in motum ducant, vomere ingesta faciant; intelligo  
 olea dulcia aquæ, vino, vel alijs liquori optato maritata,  
 tepida, si possit, propinata copiosius, quia eo magis de-  
 mulcent, relaxant; nec non omne genus lactis, ferum,  
 butyrum, vel per se, vel alijs intermixta largius hausta  
 juvant, & praesertim lactis tremor scitè ingurgitatus,  
 quum & multum feri, & copiosissimum in fe contineat  
 pingue, oleofum hic conducere viderur, ut sic causa mali  
 & a naturæ, & ab artis auxilio eo feliciùs, certius edome-  
 tur, auferatur; quo citius vero ab hoc veneno liberatur  
 corpus, eo melius, facilius mitescant, cessant symptomata,  
 ægrì restituuntur sanitati; atque hinc vix ullam, aut  
 parcissimam Cicutæ partem ad intestina, saltem incete-

rum, si mala nulla fuisset habita mora, transire posse, satis liquet; & præprimis, si vomitorii, sit, quod aliquid ad secundos vel primos intestinorum tractus Cicutæ lappum, trufum fuisset, Cathartica subjungantur leniora, sapponaceæ indolis, Manna, Cassia, Pulpa Tamarindorum vel per se vel lacti, ejus sero, oleo amygdalarum quoque mixtae, datæ fuerint, videtur curatioæ posse satis felicem adire finem. His enim non solum loca relaxantur strictæ, demulcentur inflammatæ, abstergantur erosa in stomacho, sed & quoque si aliud quid, infelicius in aliis hæreret intestinorum tractus regionibus, veneni arcetur, cicuraretur, forasque pelleretur. Paret igitur denuo & hinc quoque, quantæ sint utilitatis hisce in calamitatibus Clysmata injecta, & eo magis si Cicutæ partes valde irritantes, vellicantes, distendentes semel suscitarerint alvinas dejectiones, aut quoque particulae quædam hujus veneni si remanserint in crassiiorum rugis, prout facile fieri posse videtur, illæ ne noceant, sed demulcentibus educantur Clysteribus, qui & à sequentibus facilè deinde præservant torminibus, tenebro, inflammatione, erosione, nec non aliis malis, ne dicta repetam, utique laudandi, administrandi sunt; sin symptomata fausto omniæ semel domita remitterent, lætus exhibere jubem Yaria aromara, nervina, amara, roborantia, semper tamen leniora, demulcentibus, gelatinosis, mucilaginosis ab initio juncta; metus enim est, ne, si vel inflammatio, excoriatio alibi inducta cibario facta sit, & irritantibus semper, vel ob eorum oleum essentiale, vel ob aliud principium, partes nimis sensibiles vellicando nova excitarem, imo atrociora symptomata, mortem: atque sic infelix evitando charybdim, miser probrofè ruerem in scyllam; licet optime intentus partes debilitatas restaurare, roborare, curare cogitarem, in summas denuo ægrum conjicerem angustias; quod est ratio, cur & in

hoc, adhuc minus in primo stadio, si vel levis mora facta fuisset, vinum meracius, acetum propinare non auderem. Authores præterea adducunt Antidota plurima alia vegetabilia vino miscenda, ordine alphabetico ab HENER. à BRA L. II. de venen. curand. per med. simpl. cap. 10. recensita; horum quod longè plurima sint sibi pessimis patris præjudicii, vel ex unica RUTA inter alia allegata videre est, modo quis PLINI H. N. L. XX. cap. 12. perscrutari velit. Quid ergo de variis antidotis Cicute ab Auctoriibus laudatis, quum haec tenus nullum specificum, licet illud à multis satis male vinum credatur, habeamus, censemus sit, dictis videmus; & revera videtur, plerosque Auctores de Cicuta paßim scripsisse, quidquid illis, esset ex quo cunque voluerit fundamento, ad mentem venerit, minime penitantes, utrum ea, quæ dicent, vel à posteris ad eorum dedecus examinatum itura, vel faltem naturæ rei consona nec ne essent.

#### §. XL

Vidimus horrida hucusque, & tremenda, fateor, quæ, angue pejor ut fugiatur, ubique runcetur Cicuta, deberent satis superque excitare mortales; cunctemini tamen, rogo, pœnam apparenter justam, parcite Plantis creati, sunt & opera providentiae, creara talubria; & profectò si in ullo vegetabili, est in Cicuta, quod maxime illud meridiana luce clarius luceat, glorierur axioma: omnia ad sanctos fines & salutes ex nihilo per omne surrexisse: Venenum est Cicuta summum scimus, quod tamen sit remedium ex omnibus laudandum, præprimis topicum, egregias possideat vires norunt ægroti, clamant sanati, fatentur ex omni ævo medici. HIPPOCRATES Lib. de Fis. cap. 6. dolores sedandi ergo in procidentia ani cum Hæmorrhagia complicata, semen Cicutæ in vino albo odorato tritum tepide per modum fatus ad-

plicarunt laudat. An non forsitan hinc vana multorum ex-surgit opinio, Cicutam sistere sanguinis fluxus. Et quidem **GALENUS L.** de *Remed. parat. facil.* Cicutae se-men valdopere ad morbos oculorum commendat, re-frigerandi, atque dolores sedandi ergo; nec non ibidem Cicutæ illi egregium adstringens & reprimens audit. **DIOCORIDES** verò *L. III. cap. 77.* maxime laudat succum Cicutæ ex summitatibus expressum, siccatum; & eum præcipue egregios usus præstare vult, collyriis additum refrigerantibus, & anodinis, nec non ad erysipelata & quidem serpentia conducere; Herba vero concisa, & ejus Coma, quod sub forma emplastri, ait, testibus ad-plicata nocturnas in somno avertat libidinum imagines; imo hanc fomentationem concludit adeo esse frigidam, antaphroditicam, ut non modo ex in genitalia langeant, ea lac mammis imposita extinguatur, in totum difcutiat-ur, sed & virginum mammarum incrementum arceri, testium puerorum quoque nutritionem, iis adplicata im-pediri posse, credat falso revera, ut longe plurimi Ve-teres, deceptus judicio, quum summe frigidam crede-rent Cicutam. Etiam inter alios allegat **ARETÆUS de Morb. acut. L. II. c. 11. Satyriasis:** »Quod virilia, & loca inter «inguina, & femina, nec non coxae Cicutæ ex aqua, vel «vino, vel aceto cocta illiniri debeant, quia torporem «& frigus injicit . . . Ex dictis passim patet, quid & de hac Veterum vana opinione tenendum sit; imo observa-tis plane contrarium stare videtur. **BOCCONE** enim citato in **MAPP. Hist. Plant. Alsat. I. c. scimus**, quod femina aliqua Cicutæ esu, & saltem usu interno in tantum fuit ignominiose abrepra œstrum venereum, ut omnes ad stantes ad se prostituendam incitaret. Citat quoque Ce-leberr. **STÖRCK** in suis de *Cicuta libellis* virum, qui licet largius uferetur, & Cicutæ fomento, & extracto, nec minimum tamen expertus est ad debita matrimonii sub-

eunda defectum. Quid imo! an non constat omnibus de Cicuta observatis? Quod ejus præcipua virtus sit valide resolvere, humoribus spissis naturalem aut conciliare crasim, aut eos peccantes, stagnantes ad felicem cœtionem, resolutionem, crasim disponere; ergo saniores ad nutritionem eo magis adaptare, & ad secretiones proprias rite peragendas excitare, præparare; prioribus accedit quoque ORIBASIVS *L. V. de Simpl. cap. 50.* PLINIUS *Hist. Nat. T. II. L. XXV. cap. 13.* quod suis temporibus quoque succo Cicutæ ad resolventia medicamenta pro aqua uterentur, testatur; præcipius vero ejus usus sit cohibere inflammations, fluxus, rheumatismos, erysipe-lata, & alias cutis efflorescentias; folia vero valeant non solum epiphoras, dolores sedare, sed & tumores omnes resolvere; ceterum errorem aliorum errat de summa vi refrigerante, & antaphrodisica Cicutæ; adfirmatque hujus erroris auctorem esse ANAXILAUM. His planè sese accommodare videntur illa divi HIERONYMI *L. I. contra Jovin.* verba: » Atheniensium iepogavlas Sacerdotes, usque ad sua tempora, Cicutæ sorbitione solitos castrari, ac » viros esse definere... Omibus his MARCELLI Empy-rici *cap. 33.* dicta admodum adæquate, imo magis explicite consonant: » Ut Eunuchum sine ferro facias, rap-» dices Cicutæ ex acero teres, & testiculos spississime il-» lines, hoc quantum tenerioribus feceris infantibus, » eventu efficaciore proveniet... Confer ad citat. PLIN. loc. Not. HARDUINI. Quid de dictis, quid de paribus judicandum sit, & unde sint nata, paulo superius innui, judicavi, ut hinc revera desperem, Italis unquam hanc accommodam quidem encheiresin monstra formandi, ca-strandi suos cantatores & effeminandi profuturam fore. PLINIUS præterea *L. XXV. cap. 11.* asserit, Nymphae & Cicutæ Radices, si unâ tritæ fuissent, parti calvæ illi-nitas emendare alopecias. Quum tamen *L. XXX. c. 13.* dicat,

dicat, Semen Cicutæ vim psilotri possidere; & experimentis constet Radicem Cicutæ esse acrem, econtra semen mite, miror hæc PLINIUM statuisse. Atque *L. XXVI. c. 12.* dolores, & tumores tollere Cicutam cum axungia, & *cap. spt. 14.* Cicutam quoque cum silagine mixtam mero, sanare apostemata & hulcera tetra, adfirmat. ABUALI IBN TSINA *l. c.* Narcoticas, sanguinem coagulantes, ejus profluvia supprimentes, & psilotri vires Cicutæ attribuit, atque manifestè aequæ ac docte PLINIO contradicit, dum statuit, quod parti depilatae illita impediat Cicuta, ne denuò pili renascantur; ergo potius Cicutam, præcipue ejus acres, rodentes radices alopecia causare, quam emendare patet. Pergit Arabs, & eundem Cicutæ in mammae, ac alii volunt, vult effectum. Succus vero, egregiè dicit, præter quod Herpetes, Erysipelata & alia compescere valeat externa mala, optime quoque applicari podagra correptis partibus; nec non succum hunc esse bonum ad varias fluxiones, menses fistendos, uteri dolores tollendos, credit; tandem semen quoque fluxui vario obnoxii opitulari confirmat. SERAPIO *l. c.* his omnibus assentit; sed emplastrum ex succo Cicutæ paratum ad morbos calidos, inflammationes valde commendat; emplastrum Cicutæ vero ex foliis & seminibus confectum, testiculis applicatum laudat ad Gonorrhœam, Pollutionem, & colis involuntariam dolentem erexitonem curandam. PETRUS à CRESCENTIIS *Oper. L. IV. p. 207. & 208.* valdopere totam Cicutæ Herbam cum Cera, Oleo & Bolo Armeniaco & Aceto digestam, ad conscientiam Unguenti coctam extollit adversus splenis quæcunque vitia; quod sit validissimum remedium ad indurationes quascunque, apostemata movenda, dissipanda, nec non arthritidi, si pars adfecta eo inungatur, tutissime medeat, adfirmat; decocto autem Herbae Cicutæ ex vino fortiori & oleo consultit in passione iliaca, stran-

guria, dysenteria, loca dolentia inungi, fomentari; laudat quoque Cicutæ fatus cum vino & aqua paratos regioni uteri impositos, ad uterum purgandum, ab humoribus frigidis, viscidis liberandum, menstrua movenda, & contra scrofulas siccas, nondum motas vult externe applicari deberi fomentum ex duabus partibus Cicutæ & una tertia scabiosæ paratum. His passim subscripſere Autores tempore ſubſequentes, præcipue tamē vim obſtructiones, tumores quoscumque resolven- di, inflammations, ganglia, imo ſcirrhos diſcutiendi, mutandi Cicutæ externè applicatae non improbè tribuebant, & præprimis ut egregium præconiaabant ſpleneti- cum; his plane accedunt TRAG., DODON, aliique plurimi Medicæ & Herbariæ rei Scriptores l. c. imo DORSTENIUS & LONICERUS PETRUM à CRESCENTIIS descriptissime videntur, hac rāmen cum differentia, quod ex ejus unguenti præparatione Bolum Armeniacum rejiciant, & hoc præparatum Emplaſtrum de Cicura adpellent. CÆSALPINUS vero vult præterea l. c. Cicutam ſæpe fieri ad ingentes dolores commodiſſimum remedium Narcoticum. PANCOVIA Herbar. p. 118. confirmat Rusticanos quosdam Herba Cicutæ Cancro imposta ſanatos fuiffe. ETTMULLERUS Oper. p. 547. Radicem Cicutæ in quacunque forma ſcirrhis externe applicatam egregias præſtare vires ſpondet, & ejus unguentum, emplaſtrum ad Cancros occulitos optime ſeſe habere, tumoresque duros, ne in ſcirrhos abeant, aut Carcinomata, resolvere potenter, afferit; & quale debeat eſſe hoc emplaſtrum egregium l. c. p. 97. legimus. Huc accedit quoque RIVERIUS Frax. Med. L. VII. cap. 3. atque L. IX. cap. 5. & ſpecifice in furore uterino commen- dat injectiones in vulvam ex decocto Hordei, ſero La- etis, & ſucco Cicutæ paratas. SYLVATICUS vero Consil. Et respons. Med. Cent. IV. cap. 2. contra Oneirogoniam ſeu Pollutionem nocturnam contufam Cicutam testibus

adficare juber, nec non infessum ex aqua Fabrorum, in qua Cicuta cum roborantibus atque nervinis ebullierit, paratum extollit, genitalia roborandi ergo; sic quoque HENRICUS ab HEERS *Observar.* 7. maxime ad inflammationes, tumores penis, praesertim si ex nimia fuerint orti venere, commendat Cicutam, vario modo applicatam, & quod his in turbis eo certiore effectum praefitet, si Camphorâ juncta exaltata fuerit, praeципue in preputium immissa ad phimosin, spondet. Quod Cicuta sit egregium lac discutiens mammis imposita, affirmit PARÆUS *Oper. L. XXIV. cap. 35.* SCHROEDERUS quoque confirmat *Pharmacop. L. IV. cap. 97.* quod suo tempore jam frequens fuerit usus Cicutæ ad tumores, praecipue tamen ad istos lienis tollendos; quod DALEUS *Pharmacolog. Sect. IX. §. XXX. p. 139.* quoque testatur. RAJUS *l. c.* cum fructu extus fieri usum Cicutæ, ait, ad duros tumores, ganglia discutienda. Nec minus bene MAGNOLIUS *Hort. Reg. Monspel. p. 56.* Cicutam probè incidentem, attenuantem, tumores resolventem exterius adhibitat declarat. KOENIG *l. c.* statuit forum fieri utilissimum ad obstrunctiones lienis ex foliis Cicutæ, radice Bnyoniae, & floribus Sambuci in acero coctis. LEMERY vero *Traité des Drogues Simpl. p. 197.* uberioris declarat, evidentiusque ponit, quod Cicuta major valde resolvat, scirrhis, strumis, & lupiis nascentibus, ast praesertim tumoribus duris viscerum quorumcunque abdominalium extus adhibita optime consulat, medeatetur. GEOFFROY *Mater. Med. T. III. p. 325.* folia Cicutæ in lacte cocta commendat ad dolores podagricos & haemorrhoidales leniendos, Caraplasma ex foliis cum cochleis, & farinis quatuor resolventibus imprimis laudat adversus hydrocelen, dolores Ischiadicos, in emolliendis, discutiendis tumoribus, obstructionibus tam externalium quam internalium partium duris, scirrhosis, strumosis, grumosis folia & radices

Cicutæ, quoquaque modo adplicantur, quod sint egredia remedia; repetit CHOMELIUS *Epitom. Hist. Plant.* *Usual. T. II. p. 781.* dicit, sese folia Cicutæ solummodo parum tosta cum omni successu adplicuisse hypochondriis rumentibus, aliisque locis induratione, inflammatione infestatis; hæc folia contusa cum urina macerata, aut oleo capparum malaxata quoque induratis, carcinomatosis summopere suadet imponenda mammis. PASSERAT DE LA CHAPELLE *Recueil des Drog. simpl.* passim dicta confirmat; quibus planè & fere in omnibus TAUVRY *Traité des Medicam. T. II. cap. 14.* adtipulatur, & quod Radix Cicutæ potius ut narcoticum, quam aperiens administrari debeat, jubet: est ergo Cicuta, ut longe plurimi sciunt Observatores, exrus corpori admota egregium anodinum, repercutiens, potius dissipans, resolvens, incidens, attenuans, & quidem multorum facile similiū medicamentorum princeps modo bene & congruè adplicetur, licet TRAGUS DODONÆUS, PAULI l. c. & quoque ejus usum externum, profecto ab esu Cicutæ malis observatis nimis territi, meticuloſi periculofam, ſuspectum crediderint, declament; nullum adhuc vidi, legi fidele obſervatum, quo ſtaret, Cicutæ uſum exterum miseriſ noeuiffe adplicatum; non diffiteor tamen, quod, ſi nullus modus eam & externe quoque adplicandam vigeret, mala, aut ob individui syncrāiam odorem ejus respuentem, oriri poſſint, non certiora tamen, quam ab alio quovis medicamento, vel optimo, vel heroico imprudentius adminiſtrato. Radicum acredo, fœtor foliorum Cicutæ optime profecto declarare videntur, & adhuc fortius ex dictis, & à posteriori clarius liquet, cur Cicuta externe corpori admota adeo egregios præſtare valeat effectus. Irritando enim ſolida, & præſertim fluida reſolvendo, commovendo, quod Cicuta agere debeat, jam à priori patet omni, qui vel levem actionum & qualitatum Medicamentorum theoriam poſſidet.

Uſus Cicutæ internus multo alias, revera fortiores apud Auctores patitur excepciones, contradictiones; brevi ſortem veneni plerumque quod inter viros egregios experiatur, ſæpius dixi: ergo planè, à priori ſumptum, dare Cicutam intùs, ideo legibus naturæ, rationis repugnare videtur. Sit! non defuerunt tamen, qui & veſtūfissimi Artis Medicæ Magiftri, & præcipue Neotericorum aliqui Cicutam vel per ſe puram, vel aliis ſaltem intertritam remediis, atque vario modo compositam, præparatam optimo cum fructu intùs propinavere; & qui-dem Hippocrates de Natur. Mulier. ſect. V. hanc plantam, ut ut venenatam, ad uteri morbum præscribit, & iis quæ uterum purgant, expreſſe adnumerat; ait enim: „ ubi vero uteri ad lumbos incubuerint . . . fint potiones aliae, medicamenta ſubdititia, & purgantia; & „ inter haec præcipit . . . Κόκκον ὅστων τρισὶ δακτύλαις ἡ ράβδος „ ſidu πυρεῖ: Cicutæ quantum irribus capitur digitis, ex „ aqua bibendum dato . . . Quod vero Cicuta virtutem lochia purgandi, vim menſes ciendi poſſideat, egrieſie ex AVERROE de Simpl. cap. 42. eluceſcit, qui, Cicutam humores incidere ſpiſſos, urinam & menſtrua provocare, dolori ſpatularum valere, phlegma purgare, teſtatur; atque huic plane aſſentit BRASAVOLUS Examin. Plant. Simpl. p. 335. & profeſtò quo minùs Cicuta has vires valeat exerere, ego non perſpicio, imo debeat, modo doſi parciori bene præparata, vel alia methodo composita propinetur, ex dietiſ liquet; eo magis ſi unam præ altera feligimus Cicutæ partem, vario modo adhibemus, hos effectus obtinere quod poſſimus, ex dicendis demonſtrabo. GALENUS de Simpl. Medic. Facult. L. V. cap. 14. meæ opinioni profeſtò plane adſtipulatur, licet Theoria deluſus, multis Auctoribus contrariam agnoſcat virtutem Cicutæ, hanc tamen non minùs internè

venire, imò securè, medicè dari posse, constat; dum  
 ait: „Proinde Cicutam, si quis modicè utatur, con-  
 » densandi vim obtinet, si liberalius non modo con-  
 » densandi, sed & stupefaciendi, si vero etiam pluri-  
 » mum, non tantum stupefaciendi, sed & necandi. „  
 Alia quoque GALENI loca passim indicata declarant eum  
 Cicutæ omnem usum internum non modo non exitialem,  
 quin imo optime salutiferum aestumas; præcipue vero  
 semen Cicutæ veteribus in usu interno sterile demonstrat  
 GALENUS pluribus in locis; *de Composit. Medic.* secund.  
*loc. L. VII. p. 18.* APPOLLONIUM Pastillos, quos semenis  
 Cicutæ drachmas duas ingrediebantur, ad sanguinis re-  
 jectionem dedisse; quoque ANDROMACHUM Cicutæ se-  
 minis drachmas quatuor (*l. c.*) ad alia recepisse ingre-  
 dientia, compositionem ut formaret dandam ex aqua  
 jejunis sopiendi & iterum sanguinem sistendi ergo in-  
 terne, legimus; CRATERUM vero compositiones, quas lar-  
 gior semenis Cicutæ quantitas ingrediebatur aliis inter-  
 mixtam remediis & sedandos dolores, tabescentes, san-  
 guinem rejicientes sanandos in vino exhibuisse mulso,  
 quoque eodem teste & *l. c.* videre est; atque has varias  
 compositiones maxime iis, qui à tussi, aut etiam alijs  
 lancinantur, Veteres valde aptas judicant, & quod omnibus,  
 etiam quomodounque sanguinem rejiciant, conveniant,  
 statuunt; quare & semen Cicutæ miscere consu-  
 lunt æque eis Medicamentis, quæ conducunt per se par-  
 tibus deglutitioni ac digestioni sacratis sanguine refer-  
 tis, ac iisis, quæ hæmoptysi prospiciunt; & *de Compos.*  
*Medic. secundum loc. L. X. cap. 1.* facit GALENUS mentio-  
 nem de Pastillis, qui semen Cicutæ ad drachmas sex re-  
 cipiebant, haec compositio secundum ANDROMACHUM  
 optime ad vesicæ affeetus, & exulcerationes, ut Nephri-  
 tica credita, erat adhiberi solita; quin imo jam inter ASCLE-  
 PIADIS compositiones usus semenis Cicutæ interni mentio-

nem fieri testatur FUCHSIUS *Comment.* in NICOLA. MYREPS.  
*de Antidot.* Sect. I. cap. 196. Adhuc aliam adducit GALE-  
NUS de *Antidot.* L. II. cap. 13 compositionem APOLLO-  
DORO tributam, qua HERACLIDEM TARENTINUM ad validos  
compescendos dolores, hystericique mali fugandos pa-  
roxysmos usum fuisse, afferit, ingreditur hanc compo-  
sitionem non exigua saltem succi Cicutæ inspissati ratio.  
Cicutæ Radices exsiccatæ RENALMIUS *Obser.* 3. & 4. ut  
optimum resolvens infusas vino ad drachmas duas usque  
dedit; has quoque per se sed minima dosi datas exsiccatae  
recentissime CLARISS. STÖRCK *de Cicut.* L. I. p. 11. ten-  
tavit, atque eas minime nocivas vidit; has & ego sic ex-  
pertus sum sine ulla noxa, imo eas jam olim sese egre-  
gium expertum fuisse diaphoreticum testatur apud  
RAJUM *Hist. Plant.* T. I. L. IX. cap. 8. BOWLE. Num  
nostram Plantam adhibuit HENLEY? qui ejus radicum un-  
cias quatuor sine ullo incommodo devoravit, & PETI-  
VERO persuasit, ut & ipse eas ad semunciam assumferit  
nullo inde secuto incommodo, Conf. RAJI *Stirp. Britanic.*  
p. 215. utique dubitari potest; attamen quis in re her-  
baria celeberr. Raji ignorat auctoritatem, peritiam! idem  
dubium etiam justissime oritur circa SCALIGERI assertum  
apud HOFFMANN *de Medic. offic.* L. II. cap. 67. §. 8. de  
Liguribus Taurinis radices Cicutæ in deliciis habentibus,  
& ANGUILLARÆ pueros Pisaurienses caules sine noxa de-  
vorare. Ergo non minus quod omnes Cicutæ partes  
jam ab Authoribus, & sine detrimento ad usus medica-  
tos, imò desperata mala cum successu internè dari pos-  
sint, & exhibitæ fuerint, probatum stat.

### §. XIII.

Tandem ordo me ducit, ut quoque de variis Cicutæ  
partibus & præparatis officinalibus verba misceam. CO-  
DEX PARISINUS P. XXXVI, inter medicamenta simplicia

refert Cicutam majorem, & p. 134. Oleum Cicutæ per infusionem, atque coctionem paratum, quod Cicutæ contusæ foliorum una ad duas partes olei Olivarum ingrediatur, annotat; & ibidem quoque innuit succum Cicutæ oleum Mandragoræ intrare. p. 163. allegatur *Emplastrum de Cicuta*, quod ad alia ingredientia Oleum, Succum, & Herbam Cicutæ contusam recipit; p. 178. radicum, foliorum, & succi Cicutæ anatice partes ad multam aliorum ingredientium plane inutilem farraginem componunt *Emplastrum Diabotanon* BLONDELII. PHARMACOPEA WIRTEMBERGENSIS p. 48. Herbam Cicuta majoris, ut venenum, nunquam, nisi ad Emplastra, ususque externos resolvendi fine, exhibendam esse statuit; hujus compositionem *Emplastri de Cicuta cum Ammoniaco* p. 58. omnino differt ab illa Parisinorum; atque p. 60. allegat quoque rationes, sub quibus variæ Cicutæ partes *Emplastrum Diabot.* BLOND. ingrediuntur. PHARMACOPEA LONDINENSIS *simplic. officin. catalog.* p. 15. quoque ut usua-  
lia, Radic. Herb. Fol. & Semina Cicutæ annotat, & *Emplastri à Cicuta cum Ammoniaco* plane aliam, multo sim-  
pliciorem, & profectò multis meliorem exhibit præpa-  
rationem. LEMERY l. c. p. 197. ut & longe plures citati  
Authores confirmant, quod Cicuta varia quoque subeat  
Unguenta, statuit. Apud nos Oleum Cicutæ vix aut  
non in usus reddit medicatos, & unicè ad *Emplastrum Ci-  
cute* formandum, ejus si recens herba haberi non  
queat, adhibetur, conservatur; vires ejus quod sint, aut  
falteū esse possint, egregiè discutientes, leniter resol-  
ventes, & incidentes, Materia Medica, Chemia de oleis  
coctis, & ea quæ passim de Cicuta innui, evincere viden-  
tur; licet fatcar, vaporosum subtile succi Cicutæ oleis  
valde mutari, refrænari posse, nec ideo, aut vix, hoc  
oleum aliorum coctorum vires superare posse videtur.  
Disputant Authores de *Cicutæ Emplastri* inventore, mihi  
sufficiat,

sufficiat, quod PETRUS à CRESCENTIUS l. c. jam mentionem ejus fecerit, dixisse; & DORSTENIUM quoque l. c. ejus accuratam dedisse descriptionem, antequam ullus alias creatorum hujus Emplastrī inventorum vitam trahere cepisset, constat. Vires hujus egregii præparati pharmaceutici quis Medicorum ignorare potest; ad hoc Emplastrum, scimus, laeti ut ad sacram plerunque confugiunt Medici anchoram, ubique obstructionibus, inflammationibus, scirrhofis, duris tumoribus cujuscunque naturæ, præcipue abdominalibus strenuè obviandum est, & externe occurri potest; & quis ejus in malo hypochondriaco ignorat miranda? præsertim si virtus ejus resolvens Croci aut Camphoræ miscela pro variis statibus exaltatur; ad hoc probè accedere vires Emplastrī Diabot. multi afferunt, & ad scrofulas atque lupias aliosque tumores frigidos illud imprimis extollunt.

## §. XIV.

Unum supereft, adeo celebre Cicutæ præparatum STÖRCKII, quod & apud nos in officinas receptum fuit, quo & in nostra Metropoli usus fit frequentissimus. Quomodo hoc Extractum confici debeat, qualis sit naturæ, formæ indicavi §. VI. N. 7. Staruit necnon celeberr. STÖRCK de Cicut. L. II. p. 2. ex decocto herbae siccæ posse quidem parari Extractum Cicutæ, sed minus bonum, cui assentire nullus dubito; utimur hoc Extracto, incipiendo formatis exinde pilulis granorum duorum, aut unius grani ponderis cum decocto aliquo aut demulcente, aut quoque resolvente pro ratione mali, adhibitis; dosin duarum pilularum primam, modo æger sufferre valeat, augemus in dies, usque dum mali adpareat correctio, imminutio; Confer. STÖRCK l. c. Doctiss. CRANTZ Mat. Med. T. III. p. 45. Et sqq. atque quod ejus dosis una vice saepe ad plures drachmas & ultrâ semiunciam planè innocuè, inter-

G

dum solummodo, ob propriam ægri constitutionem, ad grana sex impunè augeri possit, observarunt Authores; interdum quoque laxantia & alia, que Medico judicio ad morbum vigentem videntur magis adpropriata, interponere necesse est; nec tamen diuturnior hujus præparati usus semper adparenter frustraneus, nauseat, deterrat; Viri enim clarissimi viderunt, interdum solummodo post bienem hujus remedii usum optatos contra mala effectus; queæ cautelæ adhibendæ sint in adhibendo Cicutæ Extracto, docet clariss. ejus inventor de *Cicut. L. I.* p. 13. 103. *sqq.*  
*L. II. cap. IV.* p. 277. *sqq.* *Supplement.* p. 34. *sqq.* suis doctissimis corollaris & monitis; hinc eas recenfere supercedeo; unice addo, cruda, farinacea, salita, acria, aromaticæ & quæcunque chylum aut viscidorem, crassiore, acriorem formant, humores inviscant, aut acreidine ditant, nocere cum usu Extracti Cicutæ usâ, atque ejus actionem validè infringere; acida quidem venire possent modica & ut condimenta; nec vinum generosum assueris nocebit. Jam vero, quum hoc Extractum sapore subsalsô, evidentiori odore & fætore Cicutæ proprio saltem adhuc dum aliqualiter nauseat, & quamvis omni studio caurissimo præparatum fuerit, tamen semper aliquibus partibus empyreumate virtutis scateat; hinc profectò, quod egregium medicamentum penetrans, attenuans, resolvens, leniter irrigans esse debeat; & sal Cicutæ mucilagine parca & oleo adusto imprægnatum, hac præparatione à suis copiosioribus partibus aquofis privatum, in majori ergo ratione quam naturaliter ad cæteras partes constituitivas vigens, & certa ratione, licet obscurè determinanda, his & aliis principiis intermissum, omnino optimam partem cause stupendorum effectuum formet, palam est; hæc eò certius statuere audeo, quum idem Cicutæ succus solummodo ad syrapi consistentiam coctus, evaporatus, nec miculæ salis præsentiam gustatus spon-

deat; & verius Extractum Cicutæ mihi per modum efflorescentiæ crystallos parvas, splendidas, linguae frigidum imprimentes largitum sit; imo succus Cicutæ quocunque modo tractatus vix quid salis essentialis, magma vero fat salitum exhibeat Confer. §. VI. n. 7. & n. 15. Quod vero à priori sana optime licet adsequi ratione, à posteriori patet evidenter; bonitatem enim & præstantiam hujus remedii innumera penè, paucis ab ortu ejus annis, declarant Clariss. Virorum circa illud instituta experimenta, habita observata; atque hinc, quod resolvens, penetrans, corrigens meliorum princeps sit, saltem quæ non resolvat aut discutiat indurata, ad benignam redigat suppurationem, acredines, fluxus mire emendet, fœtores, tumores, rosiones invertat, dispellat, ulcera quoque omnis generis, & præcipue pessimos morbos chronicos, docte tam internè quam externè pro re nata adhibitum, sepiissime contra spem fanet. Et quid non, ut brevis siam, in canceris præstítit? pleni his tractatus perplures; minime tamen B. L. cogites velim, me præconem hujus licet egregii medicamenti agere; nullo modo enim me ad omnia, fors merito mira exspectanda ab Extracto nostro, facta vadem sisto, nec tamen illud, cum interdum spem frustretur, ideo rejiciendum esse puto; aut reprobum, inutile, imo pernicisum esse declarandum, prout alii obganniant, duco; quia forsitan, cum illud sinistrè preparatum, aut spurium exhiberent, vel quoque eorum aegroti difficiliores, delicatuli, vel ob nauseam, vel ob desidium id despicerint, neglexerint, nullum fructum, aut saltem opératum haud adæquatè perceperint; vel quoque, ut & ego per quartuor vidi vices, medicamentum malo impugnando esset impar; sed & tunc quoque, verum fatear, nec alia quæque optima pharmaca quid boni præstitere. Legant invidia pallidi censores STÖRCKII de *Cicur.* L. I. p. 10. L. II. p. 183. 192. 286. & sqq. Supplem. p. 32. 33. 51. 55. & sqq. adeo

G 2

amaras jam diu formatas querelas; pudeat impudentes, sapientiam addiscant, taceant; & quæsio, cui honesta mens credat? Nisi viro sua fata adeo ingenuè fatenti. Nec tam Cicutam, nec ejus præparata, ut panaceam, canimus; rationem sequimur, & quæ circa usum Cicutæ docuit experientia, sive in bonum, sive in malum, & in quantum ex observatis nobis haurire licuit, fideliter tradam. Si STÖRCKII *de Cicut. Libr. & suppl.* Vienn. 1761. edit. consulamus, perspicimus, quod Clariss. Vir, quod & alii Egregii Viri Cicutam experti sint, quam præstantissimum remedium; sit, quod ejus herba externe ut fomentum, vel ut decoctum applicata fuerit, aur Extractum ejus modo sub pilulis, modo sub mixturis propinaverint. Semper enim omni temperamento, ætati, sexui &c. modo per se data vel aliis adpropriatis juncta, interpolata Cicuta bene egit, vel quod urinæ, alvi copiofænum fluxum, sputa cocta, & imprimis transpirationem insensibilem moverit, auxerit, aut quoque nullas, vel rarius & non nisi ad maximum ægri levamen aliquas actionibus turbas injecerit, nunquam nisi imprudentia nocuerit. Liceret non diffitear, hinc interdum vel ob mali gravitatem, vel ob idiosyncrasiam omnia cedisse frustrata; sed an non omne aliud remedium eadem experitur fata? verbo, viderunt Cicutam & ejus Extractum imprimis esse summè alterans, resolvens, parum irritans, anodinum, optimum polychreston in scabie, ulceribus malignis, sinubus, fistulis & omnibus fermè cutaneis morbis, licet pessimi moris; in scrofulis, strumis; tabe & atrophia, earum diarrhæis, sudoribus colliquativis, praesertim in phthisi scrophulari, imo phthisi pulmonum conclamata; in carcinomatibus tum aperris, cum occultis penè innumeris; tumoribus, obstructionibus & indurationibus ubicunque sitis; in spina ventosa, aliisque ossium & dirissimis rostionibus, carie ab acredine qualicunque ora; hemicranii annuis, cephalalgia chronicis; caligine at-

que vertigine; in lippitudine, cataractis incipientibus, amaurosi, aliisque fluxibus & oculorum vitiis; in rachide, arthritide, rheumatismis, paralyysi, & omni dolorum genere; in anginis chronicis, ulcerosis, pustulosis, ferofis, scrobuticis; in naufeis, ardore, dolore ventriculi; in vomitu chronico, frequenti, aëruginoso; in variis œdematibus, cachexiis & hydropum speciebus, diversis à causis oriundis; in doloribus renum, viarum urinariarum, vesicæ spasticis, mingendi variis difficultibus; in impotentiis tam generandi, quam concepiendi, præcipue ob debilitatem, infarctum partium genitalium ortis; in fluoribus albis pertinacissimis, tam à cachexia, quam à Lue venerea ortis, aliisque mensium muliebrium vitiis, imprimis à spissitudine humorum & stagnatione ortis. Quin immo optime & omni cum laude visum fuit agere Extractum Cicutæ in Lue venerea. An in affectibus calculosis Cicuta contemnenda? Admodum glorioso inventori, Confer. Srörck de Cicut. L. II. p. 191. & sqq. adstipulantur, & suis ejus confirmant observata longe felicissimi Practici, atque Chirurgi, illustres Hygeæ filii, PETR. ab ARMIS, JOSEPH. BAADER, MART. VAN DER BELEN, KOLLEMAN, CRAM-PAGNA, MANDERLIER, CAMBON, KAISIN, JOAN. VAN DER BELEN, GLEISNER, KOLLER, KAIM, HASENÖHRL, AUENBRUGGER, LEBER, O HEHIR, & *Supplement.* p. 41. LEBMACHÉR. Atque Clariss. MOLINARIUS propria Epistola ad Celeberr. STÖRCH 1761. *Vienn.* edita pariter summam Cicutæ efficaciam in morbo desperatissimo ulcere uterino cancroso-venereo demonstrat, miratur, celebrat. His Medicinæ decoribus alias Vir haud inglorius Doctiss. LOCHER recenti egregio scripto, *Observat. Pract. Vienn.* 1762. accedit; Atque multis eximiis observatis, præprimis de Lue venerea, quid & quam optime valeat Cicutæ, fidelissime declarat. LALLEMENT *Recueil Periodique Tom. XIII. p. 511.* MARTEAU *T. XIV. p. 121.* DESMILLEVILLE *ibid. p. 522.* AUBRELL-

QUE T. XV. p. 129. PELET *ibid.* p. 519. FINANTNEVEU *ibid.*  
 p. 522. omnes hi illustres Viri modo hoc, modo illud STÖRCKII  
 observatum iteratis experimentis optime successis compo-  
 bant, adtestanrur, & omnibus Cicutam laudibus extollunt;  
 atque ad Authoris exemplar tam externè quam internè pro re-  
 nata Extracto, Decocto, Fomento, Pulvere Herbae Cicutæ  
 mala strenuè, feliciter, patienter impugnabant; nec ideo,  
 licet morbi pertinaciores resisterent fortius pertas, hu-  
 miles statim desistebant; sed hoc remedio per menses,  
 imo annos, militabant; illud aliis, indicatio si peteret, vel  
 jungebant, vel per tempus quoque omittebant, varia  
 doctè medicè ad interim tentabant, & præcipue hac in re  
 sese heroem inventor gloriofus præsttit, qui, quum can-  
 crum, jam per octodecim menses Extracto Cicutæ frustra  
 expugnasset, nec ullum levamen ideo attulisset, tamen  
 exhibere idem constans, patiens fuit, & sequentibus, cu-  
 ræ anni secundi, sex ultimis mensibus spe & labore justè  
 remuneratus de optima hujus mali atrocissimi & perfecta  
 sanatione eximiè gavisus est. Paulò aliter, verum utique, sed  
 non minùs incauto, quam infelici militis sui casu territus  
 de Cicuta ratiocinatur LANDETTE *Recueil period. Tom. XV.*  
 p. 223. concluditque satis malè, Extractum Cicutæ corri-  
 gentibus esse maritandum; & hoc ideo, quia Cicuta militi  
 phthisico saepius data, & per vices denuò repetita, cum  
 illum mala ab usu ejus desistere cogenter exorta, morbum  
 reddidit atrociorē. Præter quod STÖRCKIUS jam annota-  
 verit Cicutam minùs bene phthisicis competere, ex hac  
 LANDEUTII observatione potius illud naturæ adeò firmiter  
 innitens deducendum est principium: Medicamenta, si semel  
 naturæ repugnare, nescio, qua de causa, aut idiosyncrasia  
 principio, certò visa sint, essent quoque optima, amplius haud  
 administranda, imo ut venena fugienda esse. Expertiss.  
 REG. POLON. Chirurg. RUMPELT suo scripto *Beobachtungen,*  
*Gebrauch, &c. des Schierlings, Dresden. 1762.* valdè, sed ge-

nuinum extollit Cicutæ Extractum, & pluribus doctis observatis fidelis ostendit, quam mira hoc præparatum possit, arguitque nec abs re, quod si alias optime administrata Cicuta sperato & morbis variis non responderit, nodum unicè in eo latuisse, Cicutam genuinam, veram non fuisse exhibitam; his profectò nec adeò diffiteor, quum ore Clariss. Virorum & experientia noscam, longè multas libras Chærefoliū temulentī, & aliarum plantarum habitu externo Cicutæ adsumptum pro genuina Cicutæ herba in Pharmacopeas ad ejus parandum Extractum adsumptas fuisse; præterea plerumque in vasis metallicis, & regimine ignis satis incauti illud formant; jam verò quid mirum, si Medicus his à partibus frustratus vix amplius fideat Extracto Cicutæ?

## §. XV.

Fuerunt quoque inter nos Egregii Medici, qui pro eo, quo vivunt in civium commoda studio, Extractum Cicutæ tentarunt, & quæ inde observarunt, publico invidere noluerunt; Iisdem debitas hicce grates, quod me eorum interpretem constituere dignati sint, solvo.

Experientissimus Dn. D. GUERING Consiliarius Regius, Nosocomii Regii, Orphanotrophii Civitatis Medicus in desperatis morbis optimam Pilularum Cicutæ opem expertus est.

I. Vir quinquaginta annorum, quum quinto jam infantiae anno exureret tibiæ dextræ partem medium, inde valida plectebatur inflammatione, & licet malum remediis adpropriatis brevi satis feliciter compesceretur, tamen nec minus remanebat, sinistre applicatis saturninis ulcus, quod continuò pus manabat; & omni malo omni paucos post annos eodem ulceris in loco fracturam tibiæ, & quidem bis infelicissimus commisit; nec mirum, poterat ne pars jam adeo debilitata vi fortiori allatae resistere?

Hæc fracturæ denuò præpostè curatæ ulcus vëternum alebant, quod cacoethes evasit, & ichorem ita acrem continuò per quatraginta & ultra annos ploravit, ut ulcus palmae in latitudinem serperet, carnes fungosæ undique prorumperent; caries tandem cum nigro ichore ita os adgressa est, ut pluries de se ulcus nigra crassiora dimitteret ossis fragmenta, atque ibidem plerumque ter, quaterve de anno nova oriretur inflammatio, quam semper febris excipiebat; quum autem benignioris esset naturæ, felicius spe plerumque ordinaria inflammationis medicatione, & præsertim repetitis venæfectiōibus domabatur. Tentavit ægrotus diversa millena, ut ulcus suum sanaret, corporis fui cachexiam, & sanguinem detracētum plerumque pus & corruptionem referentem depelleret, corrigeret; sed frustra summos artis Viros consuluit, eis annuit; usque dum Extracti Cicutæ Pilularum, granorum duorum ponderis, cum infuso demulcente vegetabili uncias duas & semi hauserat, sanatus erat; consuluit quoque Clariss. Vir suo ægrotō, ut & externe ulceri fomentum foliorum Cicutæ ex aqua coctorum adplicaret, renuit; arramen ulcus brevi optimum pus sudabat, ossis exfoliari requisita perfectè procedebat, carnes fungosæ evanuerunt, pulcherrimum, visu lătum inductabat musculosæ partes rubrum, factidè licet antea exesæ, consumptæ essent, tamen spatio decim dierum iterum, optatius omni, reparabantur, & ulceris ora ante callosa mollescebant, se separabant, cuticulam formabant, & quindecim diebus ulcus haud amplius aurei Ludovici magnitudinem æquabat. Imo ira promptè se se sanare cepit, ut Experiiss. Medicus inde valde timeret; rem tamen maturiā pensitans, atque bene memor illius pulcherrimi effectus, quod Cicutæ Extractum, & pus melius formaverit, & ossis exfoliationem adeò egregiè excitaverit, nec non cariem in rotum

tum debellaverit, consolatus lætabatur, atque haud amplius illos nimis citò clauso ulcere præcipue cacoethico, & quidem per tot annos excitari solitos, tristes metuit eventus; sed, ut usum Pilularum adhuc diutius continuaret, ægrum jussit, incitavit. Continuavit æger & plus quam sperando fructu, dixi; vigefimo enim curæ die ulcus in torum disparuit, pellicula nova, etiam per tot, imo ultra annos quadraginta exuli epidermide tegebatur locus adfectus sine ullo malo omne; potius omnia vigebant fausta, nec una erat functio corporis, quæ non fauna, naturalis manebat. Jam per plures menses optime se habet, nec ullum adparet signum, malum ejus fore redditurum; quin imo sanguis abhinc interdum detractus floridus & optima crassi ditatus permeat vasa.

2. Vir quinquaginta annorum diu & saepius denuò repetita excruciatibus febre quartana, licet probatis pluries debellata videretur remediis, non minus tamen hoc scandalum saluberrimæ artis recrudefecbat; scirrhosus lienis tumor surgebat, ad quem resolvendum quoque per mensis spatium opposuit exterius Emplastrum Cicutæ, interius Pilulas ejusdem, quæ, cum ad unciam unam & semi ascendissent, assumptæ, durities cessabat, tumor in torum brevi sublatus fuit, nec febris ab hinc & hucusque per decem menses recurrebat.

3. Puer septem circiter annorum male habita diæta in leucophlegmiam, & lienis tumorem, duritatem incidebat, hec mala optima quæque artis solita respuebant auxilia; hinc non solum exterius applicari regioni lienis Emplastrum Cicutæ jussit, sed & simul per sex septimanas Cicutæ Extraæti Pilulas propinavit, quæ hauftæ æquabant unciam dimidiad ex toto. Quoridè sese melius habere Puer cepit, hocque brevi tempore, & his solis fuit omni modo sanatus, vegetusque & nunc jugiter vivit.

4. Matrona annorum quadraginta ascidie laborabat,

H

vocatus ad eam eò se convertit, ut serum extra circulationem positum in abdomine fluctuans, quam ciriùs fieri posset, evacuaret, atque satis felix vino squillitico propositum obtinuit scopum; eo ipso causam, obstrunctiones abdominales undequaque exortas, laetus Cicutæ pilulis adgressus est, & ei nec minus felicem præstiterunt eventum; spatio enim mensis unciis duabus Extracti Cicutæ omnes evanuere obstrunctiones; ægrotæ optimè statim ac ufa erat Pilulis sese habere, appetere, convalescere cepit, integra restitura jam & à longo tempore perfecta fruitur sanare.

5. Miles viginti & duos annos natus Legionis Helveticae SALIS dictæ verno anni præteriti tempore validis coactus tormentibus adibat Xenodochium Militare, & tumore pugnum aquante in regione hypogastrica inguen dextrum versus angebatur; ortus erat hic tumor ex valida prægressa iliaca passione, quam adeo violentam COLONIÆ passus erat, ut per plures dies de cerrissima ejus morte Medici cogitarent; petiti undequaque operi, ferunt & mulierculæ, (quid mirum, & quæ non moventur? orco si rationem ponere cogimur,) suadent, ut globulum deglutiret plumbeum, fecit; cessarunt quidem vomititiones, attamen exin colica atrocissima semper excruciatu non minus gemebat, & in dies magis languescere, maciari cepit; hinc patriam dimissus adiit, & a Celeberr. Viro consilium petiit, qui malum sedulò investigans tumorem evidentem, tactu valde durum offendebat; hinc decrevit, ut æger die primo manè & serò, à quatuor pilulis incipiendo, duabus unaquaque die augendo, Cicutæ Pilulas assumeret; fecit sedulus, & primo jam octiduo tormenta filebant, tumor mollescere cepit, qui tempore mensis in totum disparuit; Militem, quum optime sese habuisset, torosus aequè ac fanus evasisset, dimisit; postea eum iterum pluries vidi, & sese semper abhinc sine ulla mali vixisse umbra mihi testatus est. Mirum omnino, quod hoc Extractum tam

vitia solidorum quam fluidorum corrigere observetur,  
quoniam ullam evidentem moveat excretionem. Attentius  
enim omni in haec Celebr. Practicus inquisivus, rimatus  
est, & nil excreti aucti unquam observavit; nonne vi-  
detur hoc Extractum agere fluidis naturalem conciliando  
crafin, modo per tempus congruum & justa dosi exhi-  
beatur?

6. Clariss. Dn. D. EHRMANN M. D. Physico Civitat. Ar-  
gentorat. felicissimo haec gratiosissime adponere lubuit.  
» Foemina quadraginta annorum, texturae tenerioris, vitâ  
» sedentaria gaudens, & irae in re familiaris incontinens,  
» à decimo octavo ætatis anno menstruata, eo tempore,  
» quo fluxus periodicus comparere debet, maxima pe-  
» ctoris oppressione, vertigine & cephalalgia, impri-  
» mis vero doloribus insimi ventris per tres dies magis  
» magisque augecentibus correpta est, qui interdum ita  
» effrenes redditi sunt, ut, sibi ventriculum & intestina  
» lanceolo quis incidisset, erga adstantes multis lacrymis,  
» & maximo ejulatu conquereretur. Gerit illa tumorem  
» in regione hypogastrica versus os pubis pugni virilis  
» magnitudine, qui ad tactum indolens hinc inde volvi fa-  
» cile potest. Experientissimus Cœlitibus nunc adseri-  
» ptus Medicus gravissimis his symptomatibus una & tu-  
» mori præstantissima objicit remedia; ast venæfæctiones  
» reiteratae, Enemara demulcentia, paregorica, discutien-  
» tia alia, Balnea, Fomenta, medicamenta interna anti-  
» spasmodica, anodyna, & quæcumque alia nil planè effe-  
» cere. Auxilium meum qualecunque implorans ægro-  
» ta, confugi statim ad Extractum Cicutæ, inchoavi a  
» duobus granis manæ & vespere sumendis, post mensis  
» intervallum auxi dosin ad grana duodecim, in qua per  
» quatuordecim & ultra jam persistimus hebdomadas,  
» (majori in quantitate sumum Extractum cardialgias  
» & vomitus moverat) & en! secunda jam vice catame-

„nia sat commode sine ullo ferè dolore erumpunt, &  
 „succedunt, quamvis nulla plane in tumore mutatio ad-  
 „huc dum obſervata fuerit. Omnibus itaque in melius  
 „mutatis ex uſu hujus remedii continuato ſpem non ina-  
 „nem concipio, fore ut foemina noſtra tandem cum  
 „ſanitate in gratiam redire poſſit.

7. Beard defunctus Dn. D. PARIS Consiliar. Reg. No-  
 focom. Reg. Milit. Med. & Sereniss. Cardin. Princip. de  
 ROHAN Archiater, quem recenter mortuum triftissimi  
 lugemus, caſus ſequentes Extraicto Cicutæ doctè illuſtra-  
 vit, & mihi pro ſua in me ſumma benevolentia retulit.

Virgo temperamenti cholericī anno 1760. corripiebatur  
 modo febre quartana, modo tertiana intermitente, atque li-  
 cet artis optimæ eam debellandi opes in auxilium ducerent-  
 tur, ſeu quod vitæ regimen congruum, ſeu quod alia de-  
 fuerint requiſita, non ſolum minimè à febre liberata fuit,  
 ſed & obſtructiones hepatis,lienis,mesenterii ortae ſunt  
 enormous; hinc anafarca tandem peggimo aſcīte ſtipata  
 vigebat; quid pejus! omnia tumebant, totum corpus unus  
 tumor erat, febris fortior ſemper & irregularis per inter-  
 valla ſæviebat, rem maturius cogitans, primam fore indi-  
 cationem, putavit, ſiſtere febrem referrando obſtructio-  
 nes, & imprimis aquas imminuendo, que jam ut morbi  
 proximæ poſſint haberi cauſæ; huncque ſcopum felix fe-  
 liciter obtinuit purgantibus, leniter aperientibus, inciden-  
 tibus, diluentibusque remedii, unde & febris in totum  
 eſſavit; hinc statim ac, ſecundæ ut responderet indica-  
 tioni, penitus evacuare adhuc ſuperftitis in abdomen pa-  
 rum aquæ, nova ne accumularetur, circulationem lym-  
 phæ invasis ſuis stagnantis, Rixim minitantis promovere  
 proposuit, obtinuit; vinum enim Squilliticum, Pilulae  
 hydragogæ BONTII, aliaque aperitiva ſuo fine & tempore  
 exhibita optimum & optatum præſtiterunt eventum.  
 Supererat unicūm, ſed & magis arduum totius operis,

arti saepe saepius impossibile, duries, obstrunctiones schirrhosas abdominales, omnibus delusis & optimis mediis, semper refractariè persistentes, novas jugiter prioris morbi tragœdias, imo mortem spondentes felicius omni semovere. Omnibus frustratis tandem ad Pilulas Cicutæ gradatim in morem Gloriosi Inventoris dandas, semper uno quoque die augendo earum dosin, confugit, per menses tres exhibuit, & simul exterius Emplastrum Cicutæ regionibus viscerum obstructorum applicuit, atque omnem brevi tempore vidit optatum effectum; tandem integrum & naturalem viscerum mollitiem, sanitatem & hucusque optima gaudentem puellam videre gavifus est.

8. Senex annorum LXV. temperamenti sanguineo-cholerici, VIR prænobilis stirpe oriundus Praefectus Castrorum REGIS Gallie anno 1760. die trigesimo Maii Apoplexia sanguineo-serosa invadebatur, quæ demum in hemiplegiam lateris dextri abiit; attamen tempore octodecim mensium decem apoplexiæ novos, minus, magisque fortes omnibus cum periculis experiebatur insultus, semper tamen iterum satis feliciter restitutus fuit; vidit verò, quod tamen aëtum de Viro Illustrissimo foret, nisi recidivas præveniret, averteret, tandem impedireret; hinc omnem lapidem sicuti statim à primo semper movit insultu, ne novi orirentur paroxysmi. Ast tristis frustra & variis maximè indicatis, adpropriatis sudavit remediis; manebat Illustris Ægrotus miser sibi, miser Medico, usque dum illi cuncta, quæ spes his in rerum alit angustiis, ruinanti mens rediit, ut se ad Pilulas converteret Cicutæ, ductus judicio, quod hæ recidivæ idèò orientur, quia massa humorum æque, ac solida ita essent viaria, ut humores in vasis cerebri facilime stagnarent, se se accumularent, aut quia obstrunctiones, facile arguenda, ortæ essent in nervorum originibus; vel, quod proportione habita fluidum nervum spissuscum esset, vel

nervorum tubuli nimis laxi, collapsi, ut sic influxus spirituum vitalium locum habere non posset, peccarent; eventus saltem per quam opratus adductam videtur confirmare aetiologyam; ab eo enim tempore, quo Illustriss. Vir & ultra annum Cicutæ Pilulis utitur, quarum dosin ad drachmas tres & ultra per diem datam summo cum levamine auxit, nec ullam unquam, vel levissimam ulterius recidivam passus est apoplexiā, nec aliud quod ve alius morbi symptomata expertus est; quid imo sanus & satis vegetus vivit; quin autem ab his Pilulis nullam, ut dicunt, criticam viderit effectam evacuacionem, ita & in aliis casibus; annon conclusum foret justum? Pilulas Cicutæ esse massam humorum corrigen-tes, & sic alterantes, ut immediate in omnes æque cras-sos ac subtilissimos agant humores, iis naturalem & optatam conciliando crasin.

9. Miles Legionis Halveticae ERLACH, annos XXV. natus validam incurrebat febrem, qua præpostorè fuga-ta surdus ad nos in Xenodochium Militare trudebatur, examine facto illi præscribitur injectio aurium optima, saepius virium egregiarum experta, sed cum haec & alia planè frustranea caderent; de tumore scirrhoso, sit me-tastatico vel non, cogitavit, tumebant enim parotides, & tumorem causam surditatis arguit; qua propter & Pi-lulas de Cicuta exhibuit; nec male; spatio enim mensis recuperavit auditum, eumque sanum dimisit.

10. Exper. Dn. D. ISAACUS OTTMANN Med. D. & Pract. feliciss. die 26. Novembris 1761. ad filiam 17. annos natam vocatur, quæ pessimo cancro aperto in paro-tide sinistrâ laborabat, quam varii per sex ad octo men-ses diversis mediis debellare certabant, quæ & ille co-nabatur; ast non modò irrita egit, sed & malum in dies auctum, undique atrocius serpebat; ulcerus gangrenæ faciem induebat, & ichore summe acri manabat,

labia ulceris intumuere, callos formabant, dolores atroces diu noctuque saeviebant; His perspectis, de Cicutae mirandis cogitare cepit, & filiae singulo manè & vesperè tres Extracti Cicutæ Pilulas grani unius ponderis propinari, & fomento Herb. Cicut. externè sedulò & sèpius reperta vice fovari tumorem, ulcus pessimum jussit; atque virgo aliàs formosa, ut dotem optimam recuperaret, valde defœdataam speciem abigeret, frictè curam subit, nec frustrà punctatim jussa implet; brevi enim pus bonum maturat, disparent fungi, materies bene cocta, alba, inodora tegere carnes vividas, rubras cepit; imo rediit eo hæc cancerosa parotis, ut globum flavidantem, nucem majorem æquantem formaret, qui inter carnes optimas, quasi proprio residens receptaculo citra ullum dolorem ab Expert. chirurg. D. BECKER erui poterat; quo exempto, Cicutæ usu continuato & labia ulceris callosa, valde tumida, atque alii tumores ad parotidem quoque dextram & ad collum copiose situati valde duri sensim mollescere & ita ceperant, ut ad finem Decembribus ejusd. anni omnes durities colli & parotidum in totum disparuerint, ulcus sepe optime & sine ullo notabili stigmate cicatrificavit. Quæ sordidâ facie omne hominum respuebat consortium, nunc inter pulcherrimas habetur. Numne quid in terris sequiori lexui optatius Cicuta?

11. Fœmina 50. annorum longo tempore pessimo mamœa dextræ cancro petebatur, qui ita firmiter coftis adnexus erat, ut & Chirurgorum prudentissimi mammam amputare nulli sine certo vira discrimine auderent; Ichor jugiter manans, partes saniores arrodes, lividi tumores, summi dolores, quum patientissimæ fœminarum non nisi diram, & brevi certam promitterent mortem, eo magis, quum virus cancerosum ad omnes corporis partes effusum videretur, dolores enim lancinantes, terebrantes & præcipue in coxen-

dice; in ileis, mox aliis in ossibus, partibus dirissime sæ-  
viebant, ægram periodice & vagè excruciant, febres,  
insomnia, alvos strictas causabant, brevi summum malum  
debilem hanc summis omni fermè tertia septimana expo-  
nebat. Optima quæque adhibebantur, nec juvant, imo  
nec equidem malum mitigare valebant. Accitus tandem  
celeberr. D. OTTMANN Cicutam internè & externè suadet,  
ejus quatuor pilulas manè & serò exhibit, & mammam  
sæpius Herbâ Cicut. fomentari jubet, annuit desperata,  
& quam poterat, jussa adimpler; & usu Cicutæ continua-  
to, eò saltem est eventum, ut ægrotia lectum, cui tam-  
diu misere adfixa erat, relinquere, ubique obambulare,  
muniis domesticis obedire posset; & iam nunc dolores  
non nisi mitissimi, rarissimique intercurrunt; mamma  
quoque, licet priùs tota livida, gangrenoso-cancroso erat,  
nunc pulcre rubet, & absque dolore contrectari potest;  
unde sperandum, sedulo usu hujus remedii eo eventum  
iri, ut materies癌roso, vaga, nunc ferè in totum  
domita, brevi plenariò mutetur, corrigatur. Vidi mul-  
toties hanc ægram & summam Cicutæ efficaciam semper  
miratus sum.

12. Doctiss. atque artis obstetricandi Dexterimus  
Dn. D. LAUTH M. D. proprio stylo casus sequentes con-  
cinnatos benevolè pro summa ejus humanitate mihi con-  
tulit. „ Uxor viginti octo annos nata, d'au<sup>r</sup>t<sup>h</sup>e, mense Jul.  
„ 1760. per coitum impurum à proprio marito, fluorem  
„ album venereum contraxit, quo per sex jam menses,  
„ eo tempore, quo me ad se vocare jussit, laboravit.  
„ Ante hunc mórbum optime semper fuit menstruata;  
„ forsitan indecens pudor, forsitan eriam curta, quæ ei  
„ domi fuit suppellex, ægrotam movit, ut curam huc-  
„ usque neglexerit; postea autem cum præ dolore nec  
„ deambulare, nec dormire potuerit; tandem meum  
„ imploravit auxilium. Petii illico, permitteret, ut  
„ partes

» partes genitales accuratius explorem, sed noluit, licet  
 » saepius institerim, & necessitatem hujus propositi de-  
 » monstraverim; nihil autem quam lintea, & indufia ma-  
 » culis lividis sat tincta & pessime olentia, mihi ob oculos  
 » posuit. Initium curæ feci mitioribus remediis, & præ-  
 » fertim optimis anti-venereis militavi; subjunxi fortiora,  
 » usque dum prylalismus sequebatur, his institi, & quoque  
 » jam quinto surrexit die; sed sine ullo fructu ægra reme-  
 » diis angebatur; imo potius de malo in pejus omnia cre-  
 » vère. His angustiis denuo rogavi, ut partes genitales ex-  
 » plorare fineret, &, si nunc quoque renueret, me ip-  
 » sam sorti suæ relieturum comminabar. Morem tan-  
 » dem gessit; re itaque rite pervestigata, vidi non so-  
 » lum labia pudendorum tumida, sed & jam ulcerata;  
 » immisi porro digitum oleo illitum in vaginam, ibique  
 » glandulas MEIBOMII mole justò majores, granulatas,  
 » & induratas offendit; ulterius digitum ad orificium  
 » uteri usque admovi, id quod ob acerbissimos dolores  
 » vix sustulit; obstupui, cum labia orificii paululum  
 » hiantis, in toto eorum ambitu substantiæ cartilagineæ,  
 » imo ferè ossæ similia tetigerim. Extillavit ex utero  
 » ipso materia ex fusco rubra, odoris foetidi, vix tote-  
 » rabilis, digitum valde urens; Carcinoma uteri forma-  
 » tum jam esse non difficulter suspicabar. Et quid fa-  
 » ciendum in his miseriis? Num manum de tabula?  
 » Nequaquam; potius in scenam produxi auxiliatricem  
 » Cicutam; ordinavi statim, ut Extraëti Cicutæ quotidie  
 » assumat Pilul. vj. gr. ij. pond.; quinto die redii, &  
 » cum audiverim, quod dolores non solum non acuti  
 » fuerint, sed potius aliquomodo remiserint, dosin  
 » augere & ita, ut quotidie gr. xvij. Extracti ingerat, jussi.  
 » Quovis quarto die Pilulis mercurialibus alvum movi,  
 » & ad humores acres, inspissatos, hic locorum moran-  
 » tes, diluendos, corrigendos, decoctum Herb. Cicut.

„ cum lacte mixtum crebrius in vaginam injicere suasi.  
 „ Medicamentorum horum per novem & quod excur-  
 „ rit septimanas usus id effecit, ut glandulæ vaginales  
 „ induratæ iterum relaxatae fuerint, & orificium uteri  
 „ suam naturalem induerit mollitem; & ita perfectam  
 „ sanitatem recuperavit hæc misera.

13. „ Adolescens temperamenti sanguinei, mense  
 „ Octobr. 1761. febrem pleuriticam valde dolorosam,  
 „ ac periculosam passus est; ad illum vocatus exhibui  
 „ quæque & externa & interna his in turbis unquam  
 „ bona fuere judicata. Remediis ritè usurpati vehe-  
 „ mentia febris quidem imminuta, symptomata omnia  
 „ mitiora evaserunt, sed providæ naturæ opus, me-  
 „ tastasis tertiarâ formata fuit septimanâ; tumor enim  
 „ satis elevatus immediatè supra cartilaginem ensifor-  
 „ mem sese oculis stitit Accersivit mecum æger Chir-  
 „ rurg. Expert. D. RIEDLIN, qui caute tumorem rubrum,  
 „ durum Epithematisbus emollivit, posteà aperuit; exiit  
 „ copiosa materia purulenta satis laudabilis, hinc Chi-  
 „ rurgus remediis adpropriatis vulnus tractavit, consoli-  
 „ davit, ita, ut æger ipse spatio octodecim dierum sano  
 „ se simillimum esse auspiciatus sit. Interim quartam post  
 „ diem ex improviso nova surrexere pericula, nova ni-  
 „ mirum sensit in pectore incommoda; prominebant  
 „ hinc inde ambabus in mammis tubercula dura, &  
 „ sub quavis inspiratione, quæ valde dolorosa erat,  
 „ locus, ubi antea tumor extiterat, denuò elevabatur,  
 „ & materies subtus hærens haud obscurè arguebarur;  
 „ novis fomentis succurrebat Chirurgus, & denuò tumo-  
 „ rem emollitum aperuit; & per varia orificia, dum  
 „ mammae manu leni versus tumorem pressimus, ma-  
 „ teries pauca quidem, tamen saniosæ indolis, rodens  
 „ & acris sudabar, studiose hæc orificia specillo tenero  
 „ sollicitus Chirurgus pervestigabat, ast ea offendit ter-

» minari in sinus longos dextrosum, & sinistrosum ita  
 » decurrentes, ut fines eorum attingere non potuerit.  
 » Ad materiem corrigendam, & evacuationem promo-  
 » vendam varia injecta digestiva, interim qualitas pari-  
 » ter ac quantitas sanie semper eadem mansit, & tuber-  
 » cula sensum doloris semper servabant ; hic Cicutam  
 » fore satis proficuum judicavi, & illam eo fine, ut tu-  
 » bercula emollientur, materies contenta fundatur, dedi;  
 » initium curæ feci per tres dies solummodo Pilulam uni-  
 » cam Cicutæ manè & vesperè propinando, quarto die  
 » tres exhibui, & sic omni quarto die dosin auxi: eve-  
 » nit, ut æger nono jam die dolores, qui antea inten-  
 » siiores erant, nunc mitiores senserit; materia quoque,  
 » qua antea magis saniosa, & acris erat, hanc murabat  
 » qualitatem, & multo parcior fluebat, hinc æger ipse-  
 » met petuit summe fidens huic remedio, ut ejus auge-  
 » tur dosis, annui prudenter petitis & permisi, ut ab-  
 » hinc sumeret quotidie pilulas sex ; ita usum Extracti  
 » continuans de die in diem magis sanitati reddebaratur ;  
 » ita quidem ut assumpta dimidia Extracti Cicutæ uncia,  
 » integra & optima fruatur sanitate.

14. Expertiss. atque summe perspicax Chirurgus Dn.  
 ZIEGENHAGEN quoque benevolè adtestari voluit: Virgi-  
 nem Civis honestam annos quindecim natam per lon-  
 gum tempus pertinacissima laborasse scrota ophthalmia,  
 quæ adeo refractaria erat, ut nil effectum fuerit, licet  
 familiæ virginis Medicus unà cum D ZIEGENHAGEN, quæ-  
 que ars optima fert pharmaca, demulcentia, massam hu-  
 morum depurantia, leniora resolventia, derivantia, in-  
 dicasset, adhibuisset, juscule medicata vernalia, mille-  
 pedes, aethiop. mineral Sachar Laet decoct. chin. Sarsa-  
 par. aqu. selter. cum lacte internè dedeit, & externè  
 maxime adpropriata unguenta, collyr. Balsam. vesicat. &c.  
 applicasset; actum egerunt, quin imo malum his jugiter in

deterius ruere visum est; hinc sese sagax Chirurgus mense Julio anni præteriti ad Extractum Cicutæ convertit; filiæ manè & serò binas dedit gr. j. ponder. Pilulas, ad quas ægra singula vice libram unam seri lactis hauriebat, auxit dosin sex elapsis diebus ad tres, dein ad quatuor, imo ad sex Pilulas pro una vice; ast quoriescunq; ultra quatuor ascendere ausus est, toties ægrotæ nauseas, vomitus sat vehementes experta est; ideo dosis constans statuebatur ad pilulas quatuor; omni decimo quarto alvus soluta est, & spatio hebdomadarum octo in totum omnis ophthalmia cessavit, & abhinc nec ullum amplius mali ad oculos signum sensit sat pulchra puella.

Liceat parva magnis addere, &, quæ mihi Cicutæ utenti fata contigere, enarrare. I. Nobilis quidam Juvenis viginti aliquot annorum sibi relictus strenuè satis in castris militaverat veneris, atque brevi insignia retulit plerisque talibus communia: Gonorrhœa virulenta corripitur, anxius querit auxilia, chirurgum adit, qui tandem satis longo tempore symptomata debellare, fluxum malignum impedire valebat; sed cancros venereo ad penis glandem, præputii partem internam continuò serpentes, recrudescentes nequaquam, licet omnē datum fuerat mercuriale, fugari poterant. Nobilis desolatus, pertæsus ad me rediit, & meam amicaliter petiit opem; quæ mea sunt, facere spondeo. *Spiritum van Swietemanum* cum decoctis exhibeo resolventibus, sed nihil effeci; imo aquis phagedænicis si unum exederem cancrum, brevi alii surgebant, pruritus, erosiones excitabant molestissimas; confugi ideo ad Extractum Cicutæ, ejus in dies pilulis ascendendo, juncto decocto resolvente sanationis opus adgressus sum, ut & internis partes virus venereo infectas emendarem; præterea saepius de die Extracto hoc in aqua tepida soluto ablui, mundari hæc ulcuscula curavi, & pulverem Herb. Cicut, illis in-

spergi jussi , atque satis feliciter his solis spatio  
 trium septimanarum omne venereum , ultra duos ve-  
 xans annos , evanuit ; nec ullum amplius à longo jam  
 jam tempore ulcusculum venereum recrudescere vifum  
 fuit . II. Fœmina triginta annorum non minus pauperie  
 summa , quam tabe atrophica oppressa , obstructionibus  
 abdominalibus , præcipuè mesenterii duritie evidenti  
 jam per duos & ultra annos onusta , varios consulens ,  
 varia tentans , nunquam sublevata , malo suo succumbere  
 cepit ; & ad lectum solum tanquam ultimum domicilium ,  
 ab omni arte derelicta , macilenta , febre hectica , sudo-  
 ribus continuis , atque lienteria defluens confugit , jam  
 per sex menses illi miserrime adfixa gemuit , quum , ex  
 commiseratione Civis Amici mei advocatus , à me pere-  
 ret auxilium ; contuli , quod potui , atque viginti die-  
 rum spatio eccoproticis , iuscule , & pulvere antihecti-  
 co febrem , sudores & lienteriam adeo insigniter immi-  
 nui , ut ægra lecto fungere , & ubique deambulare jam  
 posset ; quum vero istis temporibus Extractum Cicutæ  
 vigore ceperat , hinc illud ad semovendas obstrunctiones  
 tanquam causam morbi valde indicatum , à pilulis tri-  
 bus incipiendo & in dies duabus augendo , manè & sero  
 iusculis demulcentibus unitum ægræ omni cum fructu  
 exhibui ; spatio enim quadraginta dierum optime conva-  
 luit , nec durities , nec obstrunctione in abdomine ulterius  
 experiri poterat , æqualiter molle erat . III Vir quin-  
 quaginta annorum ob varia diætae viria in morbum acu-  
 tum incidit , ex quo convalescens continuae vomititio-  
 nibus peti cepit . Medici , qui ei consulebant , malum  
 pro volvulo repurari posse statuebant . Ast acriora licet  
 injicerent clysmata , nec ulla alvi facta est solutio ; vomi-  
 tis continuabant , quamvis quæque roborantia , & ne-  
 scio quæ alia ejus stomacho depravato propinarentur .  
 Fortuito planè casu petor ab hoc ægro , qui me olim

arctius noverat, lacrumans à me poscit opem, diu his  
in angustiis eo magis, quum validissimo motu juscula  
optima coram me hausta semper projiceret, hæsi, nec  
quid consilii foret, decidere poteram, licet hæc mala  
in scholis recentissime à summo Professore satis superque  
edoctus fueram; quin imo de hujus viri morte proxima  
minimè dubitavi, quum solita ejecta viridi atque nigro  
intermixta pessimè ludere colore, & ægrum valde con-  
sumtum, emaciatum conspexisse; attamen, vera fatear,  
mihi semper ejus pulsus, quam strictè exploratus, adhuc  
satis superstites naturæ vires denotaret; hinc eum animo  
mactum esse jussi, nec de ejus me malo desperare cogi-  
tavi; propinavi eccoproticum altero manè; per sex enim  
septimanas nullum laxans hauserat, & omni felici fidere  
eccoproticum absque vomitu retinere potuit, atque qua-  
tuor sedes valde foeridas, nigerrimas, tenacissimas ex scy-  
balis formatas omni cum levamine expertus est; sæpius  
ut emollientia caperet per diem enemata, inculcavi; atque  
illi statim Pilulas de Cicuta sex de die bis cum infuso  
theiformi leniter roborante praescripti sumendas; mira!  
brevi omnes evanuere nauseæ & vomitus; vix enim ha-  
rum Pilularum unciam dimidiam interpolatis eccoproti-  
cis atque enematis devorasset, conyalescere cepit, &  
ut solum Extractum Cicutæ continuaret, ordinavi; egit,  
& perfectè jam diu adeo optatae restitutus fuit sanitati.  
Duabus quoque Puellis, fugatis aquis hydropticis, ob-  
structiones restitantes solo Cicutæ Extracto profligavi.

## §. XVI

Nostrum Extractum nullam esse panaceam observa-  
runt multi; & quoque mihi pro summa sua humanitate  
Propriis verbis referre dignatus est Celeberr. D. D. EHR-  
MANN . . . » Honestissima Mulier annos XXXVIII. habens  
v mensibus ritè succedentibus per tria ferè lustra insi-  
gnem,

gnem, palpabilem, aet dolentem tumorem circa uteri  
regionem experitur. Catapotiis illa utitur Stoerckia-  
nis per sex jam mensium spatium, sed nullum exinde  
plane effectum hucusque sensit; protuberat abdomen  
& tactu durum est, nihil proficientibus quibuscumque  
aliis remediis praestantissimis. Cum malo nodo du-  
rus sit querendus cuneus, multiplicando remedii do-  
sin ejus usum continuatur sumus. » Clariss. D. GUE-  
RING quoque in cancero uteri perdiu Pilulis Cicutae in va-  
num sudavit, & sub ipso remedii, tanquam ultimo afylo,  
usu Matrona mortua est. Beat. PARIS frustra ad tres in-  
cipientes cataractas Extractum hoc diutissime tentavit; &  
ab usu supervacanea tentamina eum tandem detraxerunt.  
Dexterr. D. ZIEGENHAGEN quoque ingenuè faretur sese  
Pilulis Cicutae per sat longum tempus in Rachitide, in  
Puellæ tumore scirrhofo ad mammae papillam situato  
ovum gallinaceum aequante, in duobus Epilepticis, in  
ulceribus malignis pedum, in verula, sub axillis sinistris  
ulcere canceroso, gemente, summè dolente actum egisse.  
Vidi ipsomet in Nosocomio Regio variis in morbis Ci-  
cutow plane nullum praestitisse effectum; attamen quod  
unquam & diutissime prudenter data nocuerit, nunquam  
observare nec aliis nec mihi licuerit. Sisto pedem; DEO  
SUMMO sit laus; & quæ pro tenuitate ingenii mei  
minùs bene exarata sunt, supplico, B. L. condones, & si  
quid minùs benè elaboratum; perfectum faltem tibi dabit

F I N I S.

## ERRATA.

Paginæ 2. lineæ 4. circumagere lege circumagere: lin. 6. Alexi phar-  
mac. leg. Alexipharmac. lin. 7. Cicutæ hæc leg. Cicutæ, hæc: lin. 11. Sem-  
per leg. Temper. lin. 14 paternimus leg. pati cernimus: lin. 16 probès  
leg. probè: lin. 19. maxime Poëta leg. maxumè Poëta: lin. 25 verè leg.  
verò: lin. 27. gerant leg. gerunt: lin. 29 exercusat leg. exrefcat: quo-  
nimus leg. quoniamus: pag. 3. lin. 2. herbans leg. herbain: indemnos leg.

K

inde mos: lin. 5. Cicutæ. viridem leg. Cicutæ viridem: lin. 6. quem  
 piam leg. quempiam: lin. 10. exegete leg. ex segete: lin. 15. Poeta leg.  
 Poëta: lin. 16. siquid leg. si quid: lin. 25. quam nos leg. quam non: lin.  
 27. in saniam leg. insaniam: lin. 32. tiuguat leg. tinguat: pag. 4. lin. 2.  
 cuius liber leg. ciuslibet: lin. 6. carnarum leg. cannarum: lin. 29. fa-  
 porem leg. soporem: lin. 33. maximè leg. minime: Pag. 5 lin. 17. siqui-  
 dem leg. liquidem: Pag. 6 lin. 24. ad legat leg. allegat: lin. 25. Cicuta  
 leg. Cicutam: lin. 29. Experiencia in leg. experientia, in: Pag. 7. lin. 3.  
 Attica leg. Attica: lin. 4. illum leg. illum: lin. 5. quum leg. cum eâ:  
 lin. 17. Cigne leg. Cigne: Wüterich. leg. Wüterich: lin. 18. accedit leg.  
 audit: lin. 28 ad ferre leg. adferre: Pag. 8. lin. 1. puniter leg. pu-  
 nitor: lin. 3. refrigeratis leg. refrigeratio: lin. 4. creditavi leg. & ejus  
 credita vi: Augynon strangulationem, leg. Augynon indicat strangula-  
 nem; lin. 6 Paralyzini leg. Paralyzini: lin. 9. Polyanodynōn leg. Po-  
 lyanodynōn: lin. 10. aphronæ leg. Aphrona: lin. 15. χρεάτων leg. Kρε-  
 οτάτων: χρεάτων leg. Kρεάτων: lin. 22. EROTIAMUS leg. EROTIANUS  
 Pag. 9. lin. 28 φέρμαχον leg. φέρμαχον: Pag. 11. lin. 1. LIMÆUS leg.  
 LINNÆUS: lin. 4 in circa leg. circiter: lin. 13. universalis leg. Univer-  
 salis: lin. 22. Antiquam leg. Antequam: Pag. 12. lin. 11. Icon. fat leg.  
 Icon fat: Pag. 13. lin. 18. qualibet leg. quodlibet: Pag. 17. lin. 18.  
 scupulum leg. serupulum: Pag. 18. lin. 2. tamen ut leg. tamen, ut:  
 lin. 5. obturato, leg. obturato inclusus, : lin. 11. fuccus leg. fucca: Pag.  
 19. lin. 15. referri leg. referre: lin. 31. sub faltum leg. subfaltum: Pag.  
 20. lin. 3. ceteris leg. ceterum, : lin. 14. dederunt leg. dederunt: Pag.  
 21. lin. 20. ad eo leg. adeo: Pag. 23. lin. 19. adferrunt leg. adferunt:  
 Pag. 27. lin. 25. gangrena leg. gangrana: Pag. 29. lin. 17. conf. leg.  
 Conf.: AETIUS leg. AETIUS, : LÄGINET leg. ÄGINETA, :  
 lin. 20. ardorum leg. ardor: lin. 27. peste. SENNERTUS excruciant leg.  
 peste SENNERTUS. Excruciant: Pag. 30. lin. 10. affluerit contingere leg.  
 affluerit, contingere: Pag. 30. lin. 32. arcanda leg. arcenda: Pag. 36.  
 lin. per egregiè leg. per-egregiè: lin. 34. inceterum leg. ceterum: Pag.  
 37. lin. 9. abstergantur leg. absterguntur: lin. 27. inductu leg. in ductu:  
 Pag. 39. lin. 30. ad leg. ad- Pag. 43. lin. 21. Bryonia leg. Bryonia: :  
 Pag. 52. lin. 28. diarrhœis leg. diarrhoeis: Pag. 55. lin. 14. fideat leg. fidat:  
 Pag. 56. lin. 12. diversa millena leg. diversa, millena: Pag. 62. lin. 9.  
 symptomata leg symptomata: lin. 33 gangrena leg. gangrana:

Argus adhuc talis nunquam fuit, omnia menda  
 Qui caveat, nec erit, singula quisque norer;  
 Jam veniam pro laude peto, laudatus abunde,  
 Non fastiditus si tibi, LECTOR, ero.


Argentoratenses, Med. Diss., 6  
=Strasbourg      f Eberle-Eyting



VDCA  
VD18







B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. v.  
RATATIO MEDICA  
DE  
ICUTA  
QUAM  
INE SUPREMO FAVENTE  
EX CONSENSU  
I MEDICORUM ORDINIS  
LICENTIA  
DUM DOCTORIS  
RITE CONSEQUENDI  
XIII. APRILIS MDCCCLXIII.  
UDITORUM EXAMINI PROPONIT  
AUCTOR  
JUS JOSEPH. EHRHART  
REDERSHEIMENSIS ALSATA  
ET PHILOS. MAGISTER.  
ARGENTORATI,  
JONÆ LORENZII, Typogr.